

1 . 6 . 3 . 4 .

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S.S. Theol. D. & in Academia Roſtochienſi Profeſſoris,

In Prophetam SOPHONIAM COMMENTARIUS:

In quo textus

Analyſi perſpicuâ illuſtratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
locis S.S. parallelis confirmatur,
à pravis expoſitionibus vindicatur.

Uſus verò in Locis communib9 ex ipsâ ſcripturâ natis & probatis indicatur.

ADJECTUS EST INDEX RERUM ET VERBORUM.


Pſalm 119, 11. 12.

בְּלִבִּי צָפַנְתִּי אִמְרָתֶךָ לְמַעַן לֹא אֶחֱטָא־לָךְ׃
בָּרוּךְ אַתָּח יְהוָֹה לַמְּרֵנִי חֻקֶּיךָ׃

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, *Impenſis Johannis Hallervordij bib. Roſt. Anno 1623.*

REGI REGUM
Domino Dominorum
JEHOVÆ SA-
CRUM.



IN SOPHONIAM Prolegomena.

Ps. 31, vers. 20.

מָה רַב טוּבְךָ אֲשֶׁר־צָפַנְתָּ לִּירֵאֶיךָ פָּעַלְתָּ לַחֹסִים בָּךְ
נֶגֶד בְּנֵי אָדָם׃

INter Prophetas minores eos, qui ante captivitatem Babylonicam vaticinari sunt, ultimus est Tzephanja, vulgò dictus *Sophonias*, & proinde optimo jure hūc locum occupat ante tres reliquos, qui post captivitatem in reductione populi, & post eam vixerunt, Ecclesiamq́ docuerunt. Illum nunc, cum Deo, interpretaturi in initio videbimus breviter hæc quinq́; *Quis, Quid, Quando, Quibus, & Quotuplicia* prophetaverit, unde tamen, (sicut etiam ex explicatione sequenti) facile constare posse existimamus de reliquis tribus, quæ hactenus in προλεγομένοις etiam videre consuevimus, videlicet, Qua occasione, Quo fine, & Quo usu nostro docuerit. προλεγόμενα.

I. *Quis* fuerit autor hujus prophetiæ secundarius, ipse in versu 1. cap. 1. indicat, nempe צְפַנְיָה. Ετυμον vocis compositæ si spectes, quod est צָפַן abscondit, & יָהּ i. e. Jehova, sonat eum, quem abscondit, & protexit Ps. 27, 5. & apud *I. Quis, & nominis ἔτυμον Verum,*

& apud ſe deliteſcenti revelavit abdita, & arcana ſua, reconditoſq́ ſuæ ſapientiæ theſauros demonſtravit, quæ ipſe porrò alijs oſtenderet, quaſi dicas DEI SECRETARIUM, cujus nominis menſuram optimè implet, quando & pœnam, quæ ſecuros latebit, prænunciat, & felicitatem regni Chriſti per Evangelium revelandi pijs, de qua & ipſi, calamitatibus preſsi, quæ eſt carnis imbecillitas, dubitare poterant, declarat. Alij hoc nomen propriũ ab ejuſdem Radicis nomine derivato צָפוֹן i. e. aquilo, deducunt, idq́ nomen à vi verbi prædicati prophetam obtinuiſſe exiſtimant, quemadmodum poſtea filij Zebedæi Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς à Chriſto eadem de causâ dicti ſunt Marc. 3, 17. Alij verò, inter quos Hieronymus, vertunt ſpeculam, ſeu ſpeculatorem Domini, quaſi eſſet à Radice צָפָה i. e. ſpeculatus eſt; quibus licet res ipſa, Ezech. 3, 2. & 33, 7. deſcribitur, faveat, ſcriptura tamen quodammodo repugnat & punctorum ratio.

apparens,

falſum.

2. Quid docuerit.

II. *Quid* docuerit ex hac ſumma poteſt colligi. Vt reliqui prophetæ, ita & ipſe hæc duo habet, partim minas legis, partim conſolationes Evangelij. Illa ſunt de futuro urbis Jeroſolymæ, totiusq́ regni Judæ excidio, cujus atrocitatem cum cauſis diligenter deſcribit, eam ob cauſam, ut impij actâ pœnitentiâ reſipiſcant, pij in ſuâ pietate perſiſtant & creſcant, atq́ ita futuras pœnas vel effugiant, vel earum mitigationem ſentiant. Et quia vicinas gentes Judæi reſpiciebant, judicia contra illas quoq́ explicat, ne aut illarum ſanis in ſuâ calamitate moverentur, vel victorijs & felicitate offenderentur, ſiquidem jam ſit de illis lata à Deo ſententia. Hæ verò promittunt, non omnino abjectum iri Eccleſiam, etiam in iſtis malis, ſed Deum aliquod pium ſemen ſibi eſſe vel ex pau-

peribus conservaturum. Nam per Christum futurum est, ut restauretur Ecclesia, ad eam vocentur gentes, omniaq́ viva ejus membra remissione peccatorum, & tandem gloriâ æterna per illum suum regem donentur, hostesq́ Ecclesiæ domentur, aut tollantur.

III. Quando vixerit, non quidem præcisè, sed tamen ἐν πλάτει denotat, videlicet tempore Josiæ, quomodo unà cum Jeremia incipiente (siquidem hic sub pluribus regibus postea vixit) docuit, quicum etiam in genere dicendi seu phrasibus & multis rebus congruit, & propterea cum eo usq́ ad caput vigesimum (post quod Zedekiæ regis, Josiæ in regno succedentis, fit mentio) conferendus. Quia autem rex Josias triginta & unum annos regnavit, & anno regni decimo octavo cultum Dei verum restituit, religionem reformavit, & idololatriam ex regno sustulit 2. Reg. 22, 1. & 23, 23. multi interpretes ante illam restaurationem hanc prophetiam esse editam, multi post eam contra reliquias idololatriæ tantûm directam statuunt. In illa sententia sunt Ribera, Drusius, in hac Danæus, Gualtherus, Junius. Prior mihi se magis probat, quod hæc docuerit Sophonias, antequam Judæi mores commutassent in melius, qua de re postea pluribus. vide cap. 1. v. 4. 5. 6. *3. Quando vixerit.*

IV. Quibus prophetaverit, obscurum esse nequit; nempe solis Judæis, abductis jam decem tribubus ex regno Israelis in captivitatem ab Assyrio, tempore Achazi regis Judæ 2. Reg. 17, 1. 6. qui longè hunc Josiam antecessit. Colligimus hoc ex versu 1. & 4. capitis primi. *4. Quibus prophetaverit.*

V. Partes hujus libri generales possunt cōstitui duæ, Inscriptio v. 1. c. 1. & prophetia. Hujus partes speciales sunt tres I. Judicij contra Jerosolymam Judæamq́ totam severissimè *5 Partitio libri.* *1.*

2. rissimè denunciati propositio & expositio. cap. 1. II. Judæorum ad frugem revocatio cum alienæ calamitatis in gentibus exteris exemplis, tum interminationibus ex Dei
3. verbo ad Judæos ipsos directis c.2.&3. usq; ad v. 8. III. Conclusio à promissionibus Evangelicis desumpta reliquo capite, quomodo priores duæ particulæ ad legem, postrema ad Evangelium pertinet.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum.

Summa. EXcidium urbis Jerosolymæ, vastationemq; ac desolationem regni Judæ per regem Babyloniæ futuram propheta prænunciat: peccata, quibus ad hanc vindictã provocatus sit Deus, enumerat idololatriam, contemtum Dei, ejusq; minarum, injustitiam in proximum vi & fraude declaratam. Ad pœnitentiam igitur hortatur, cum instet captivitas, cujus hîc describitur crudelitas.

Ανάλυσις partes duæ Præter inscriptionem vaticinij hujus universalem, quæ versu 1. c.1. extat, ejusq; materiam, autorem cùm prima-
1. rium, tum secundarium ac tempus explicat. Partes hujus capitis possunt constitui duæ: Earum prior est judicij divini Judæis jam jam imminentis propositio & summa v.
2. 2.&3. Posterior uberior ejus expositio v. 4. & reliquis. Summa illius est: Deus omnia tollet, & ad se, qui dederat,
Propositio quasi recipiet, in genere & universaliter prolata v. 2. in specie & particulariter explicata, de iis, quæ degunt in terrâ, ut homines, & quæ ipsis potissimum inserviunt, in
Expositio. aere, ut aves; in aquis, ut pisces v. 3. Hæc, nempe propositionis enarratio, duo membra continet, prius, causas & modum

modum illius ſublationis totalis ſeu vaſtationis omnimodæ indicat, poſteriùs eandem exornat.

Ibi recenſentur tria hominum genera pro offenſarum ratione, primum popularium idololatrarum, qui tamen non ſunt unius generis. nam quidam eorum adhuc colunt Baal. v. 4. alij aſtra, nonnulli Melechum v. 5. ſunt qui à Deo vero turpiter per apoſtaſiam deficiunt v. 6. quibus tamen omnibus jam jam imminet una pœna, videlicet cædes per Babylonios facienda v. 7. Secundum genus hominum eſt familiæ regiæ, magnorumque ſatraparum, autoritate ſuâ nefariè abutentium ad luxum v. 8. & rapinas v. 9. quos propterea cum reliquis eadem pœna opprimit v. 10. Tertium denique genus hominum eſt mercatorum in quæſtum ſuum unicè incumbentium ſine ullâ Dei reverentia, qui cùm nil aliud curent niſi ſuos nummos v. 11. neque ullo modo ſe à ſuis peccatis ſinunt abduci, Deique providentiam abnegant v. 12. meritò ſuis opibus privantur v. 13.

Tria hominum genera: *1.* *2.* *3.*

Exornatio, quæ erat hujus partis membrum poſterius, gravitatem judicij hactenus aliquoties denunciati per congeriem explicat à temporis propinquitate v. 14. iræ divinæ gravitate v. 15. hoſtilis adventus alacritate v. 16. ac denique idem amplificat, quod clades illa futura ſit univerſalis v. 17. & prorſus inevitabilis v. 18.

Alia diviſio.

Alij populariter hoc caput dividunt in partes quatuor, ita ut I. contineat τὰ προλεγόμενα v. 1. II. minarum denunciationem, quod Deus ſit puniturus Jeroſolymam, & totum regnum Judæ, v. 2. 3. 4. 5. 6. III. dehortationem, næ ſint ſecuri, quia Deus ſit omnes graviſsimè afflicturus v. 7. IV. confutationem perſuaſionis vanæ & fiduciæ in res externas collocatæ v. 12.

IN

INSCRIPTIO.

Inscriptio, ejusque summa.

Vers. 1.]In Inscriptione tria sunt potissimum, primùm doctrinæ commendatio, & divina Prophetæ vocatio; deinde hujus stirps seu origo, deniq; temporis ratio. Quia enim prophetiæ & viva voce prolatæ, & scripto consignatæ prodesse debent omnibus, meritò in principio commendantur, & quò melius ad usum nostrum transferri queant, tempora, quibus sunt revelatæ à Deo, & â prophetis conciones habitæ, indicantur, ut illorum historiæ de similib9 peccatis vitandis, aut, si non intermittantur, similibus pœnis expectandis, nos moneant. Sic a. noster propheta incipit: *Verbum Jehovæ, quod fuit ad Sophoniam, filium Cuschi, filij Gedaliæ, filij Amariæ, filij Chiskiæ*, qui omnes sine dubio autoritate & honoribus apud populum Judaicum tunc temporis fuerunt nobiles & illustres.

Sophonias Dei legatur,

Verbum Jehovæ quum se allaturum dicit propheta, ministrum prophetiæ se esse profitetur, non autorem, quam tamen Dei nomine, ut legatus summi regis afferebat, & propterea ipsi meritò erat habenda fides quam apud nos firmat temporis adjecta circumstantia, quod docuerit *tempore* seu diebus *Josiæ*, regis Judæ, *filij Amonis*, sub quo maximè vigebant idolorum cultus, quorum amotio & exscidium hîc prædicitur.

Jeremiæ coætaneus.

Fuit itaq; Sophonias Jeremiæ & Huldæ prophetissæ coætaneus 2. Reg. 22,14. 2. Chron. 34,22. & 35, 25. Ier. 1,2. de quibus fertur illud veterum Iudæorum: Ieremiam prophetasse in vicis ac plateis; Sophoniam in Synagogis; Huldam apud fœminas: quod tamen relinquo in medio, & ad ipsum prophetæ argumentum accedo.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

I. *Verbum Jehovæ, quod fuit ad Sophoniam*] Vocati sunt prophetæ plerumq; à Deo immediate, quomodo illorum & apostolorum vocatio differt ab ordinariâ reliquorum verbi ministrorum, ad quos est illud Jehovæ verbum, quod continetur in Biblijs. Vide quæ ad Exordia præcedentium prophetarum & in v. 28. c. 2. Joelis dicta sunt, & satis magnam Locorum Communium seu doctrinæ invenies farraginem, quam hic brevitatis ergò repetere nolumus. *Vocatio immediata.*

II. *Filium Cuschi* &c. Deus quandoq; ex magnis & amplissimis, quandoq; ex obscuris familijs sibi elegit ministros, ut sciamus, eum nullos rejicere absoluto aliquo decreto, nec indigere tamen necessariò hominibus coram mundo satis instructis & idoneis. Vide itidem in cap. 2. Joel. v. 28. Amos 1, 1. & 7, 14. Illius exemplum habes in Nathane 2. Sam. 7, 3. Daniele, Nehemia, Esdra. *Deus & nobiles & ignobiles vocat.*

III. Si quis nomina propria, quæ hîc occurrunt, velit interpretari mysticè, id licet eruere, quod omnis verus verbi divini minister sit *Sophonias* h. e. delitescens apud Dominum Deum suum, in scripturis die ac nocte meditans, quemq; ipse protegat, & proinde æquum esse, ut omnes hunc Dei secretarium audiant ac monita illius observent 1. Timoth. 4, 13. 15. 16. Jerem. 1, 18. 19. Luc. 10, 16. 1. Thes. 2, 13. Idem quod ad generationem carnalem, est spiritualiter *filius Cuschi*, hoc est, peccatorum fuligine niger ut Æthiops, quiq; ex se suum nigrorem mutare non potest: à Christo verò in baptismo purificatur ac dealbatur, qui revera est *Gedalja*, magnus Deus, *Amarja*, i. e. λόγος θεοῦ, verbum Domini, *Verbi minister est Sophonias.* *filius Cuschi,* *Gedalja.*

Domini, & Hiskia i. e. fortitudo ac robur Dei, cujus in baptiſſimo tempore N. T. regeneratus efficitur filius. quam ad rem ulterius declarandam & probandam, ſi cui placet, inter ſe conferat & expendat, in Biblijs loca ſequentia, quæ ego poteram aſſcribere, ſi lucrum meum aut bibliopolæ ſpectarem. Jerem. 13, 23. Pſal. 7, 1. Cant. 1, 5. 6. Gal. 3, 27. Act. 15, 9. Tit. 3, 5. Eſ. 1, 18. Joh. 20. 12. Pſal. 51, 4. 9. & 68, 14. 15. Tit. 2. 13. Joh. 1, 1. 2. Pſal. 33, 6. Prov. 8. 14. Pſal. 18, 2, 3 & 28, 8. & 43. 2. & 118, 14. Apocal. 10, 1. Eſa. 53, 4.

Reformatores Eccleſiæ. IV. *Tempore Joſiæ*]. Quando magni errores in Eccleſiam ſunt invecti, Deus illius miſertus propter electos ſuos, reformatores mittit, ut his ipſis prophetæ noſtri temporibus dedit cum ipſo Jeremiam, & ipſum regem Joſiam. Idem videre eſt in Samuele, Elija, Amos, Johanne baptiſta, Chriſto ipſo, &, quod grata mente hoc ipſo anno Roſtochij recolimus, ante ipſum ſeculum, *Joachimo Slutero,* Lutherum ante annos ferè ſex Witebergæ feliciter reformantem, fideliter imitato, quorum hic per Dei gratiam totam Germaniam, imò & plures alias regiones doctrinâ â ſe ex verbo Dei propoſitâ ex Pontificis Romani tyrannide liberavit, ille primus eandem in hac urbe eſt profeſſus, cujus utriusqꝫ beneficij divini memoriam nulla nobis unquam delebit oblivio.

PARS PRIOR.

Verſ. 2.] Summa argumenti & propoſitionis prophetæ noſtri hæc eſt: *Recipiendo* i. e. omninò *recepturus ſum,* non tantum quædam, ſed planè *omnia à ſuperficie hujus terræ* Judææ, delebo, perdam, conſummam per regem Chaldæorum omnia in hoc regno, & hac urbe, *dictum Jehovæ,* & proinde

proinde non condemnendum, ut meum nudi hominis verbum. Totius enim hujus capitis summa constat hoc Enthymemate: Tota terra vastabitur, hoc & sequenti versu. Ergo ne sitis securi v. 7. & satis apertê rem ipsam sine circuitione dicit Sophonias, quando sic incipit, & ut seriò rem agi omninò auditores intelligant, non tantum per ἀναδίπλωσιν certitudinem, veritatem & vehementiam denotat hoc versu, sed eandem etiam sequenti per ἐξήγησιν explicat, &, quod summatim posuerat, membratim evolvit, de hominibus & animalibus cùm cicuribus, tùm feris in omnibus ferè elementis degentibus. Ἀναδίπλωσις illa est in his verbis אָסֹף אָסֵף propriè, colligendo colligam. Quia verò res propterea sæpe colliguntur, ut tollantur de loco, in quo fuerunt hactenus, ut ossa mortuorum, fruges in agro natæ, vasa in ædibus, quando profecturi convasant, metaleptisè pro tollere, consumere, perdere sæpe accipitur, atq; ita ad verbum cognatum סוּף, præcipuè in conjugationibus activis ut literis & sono, ita & significatione quoq; accedit. Videantur hæc loca Jud. 18, 25. Psal. 26, 9. & 104, 29. Hos. 4, 3. Jer. 8. 2. 13. 14. & imprimis Mich. 2, 12. ubi plura super hanc rem. Pro subjecta materia variat hæc phrasis, quando dicuntur pij colligi ad patres 2. Chron. 34, 28. colligi ad suum populum Gen. 25, 8. 17. & 49, 29. 33. Num. 31, 2. Esa. 57, 1. 2. Reg. 22, 20. quia tantum abest, ut perdantur, ut tum demum salventur per mortem hanc temporalem ad vitam æternam intro ducti, Tolluntur tamen de hac terra & ipsi, & congregantur ad mortuos, qui & sunt & dicuntur apud Latinos, plures.

Ἀναδί-πλωσις אָסֹף

i. e. sustulit.

in bonam partem.

Vers. 3.] Sed hæc de ἀναδιπλώσει dicta sint: veniamus ad sequentem ἐξήγησιν, quæ ita sonat: *recepturus sum*, puta de

Ἐξήγησις

de hac terra ut tollam, quod bene exprimit Lutherus Ich wil auß dem Lande weg nehmen / *homines, & jumenta,* illos occident Chaldæi, & ii qui superstites fuerint, in captivitatem abducent, hæc mactabunt & abigent: quin totam terram reddam etiam ab alijs desolatissimam, quia *recepturus sum etiam aves cæli, & pisces maris* quemadmodum sæpe probavit experientia, bellicis tumultibus ipsas quoque aves fuisse fugatas, & piscinas vastatas Jerem. 4, 23. 25. 26. 27. & 9, 10. quibus adde, quæ scribit in hunc locum Hieronymus. Vastatis, inquit, urbibus & hominibus interfectis solitudinem & raritatem bestiarum quoque fieri & volatilium, piscium que testis est Illyricus, testis Thracia, testis, in quo ortus sum, solum, ubi præter cœlum & terram crescentes vepres, & condensa silvarum, cuncta perierunt. quibus similia idem scribit in 4. cap. Hoseæ. Hoc qui non credit, cernat Illyricum, Thraciam, Macedoniam, & probabit, cum hominibus animalia cuncta deficere, quæ in usus hominum à creatore prius alebantur. Causa hujus πανωλεθρίας subjicitur à propheta, nempe quod terra idololatriâ polluta sit, quando sic pergit: Et tollam è medio *ipsa offendicula illa* quæ jam publicè prostant & coluntur à plurimis (hebr. הַמַּכְשֵׁלוֹת, à Rad. כָּשַׁל impegit, lapsus est, quando offendit pedem ad σκάνδαλον seu προσκόμματα) ipsa idola, quibus multi offenduntur & pejores evadunt, de quibus Eucherius in lib. Regum scribit. Scriptura idola offensionem nuncupat, quia vel in illis Deus offenditur, vel illa offensionem & ruinam suis afferunt cultoribus, qui cum illis tandem pereunt, ut sequitur in textu, tollam idola *cum improbis*, &, ut res benè notetur, idem denuò repetam. *exscindam à homines superficie hujus terræ,* Lutherus emphaticè Ich will außreutten *dictum Jehovæ,* qui

Animalia nulla, ubi non sunt homines.

מכשלות *notat idola.*

ſæpius eadem inculcare juſsit, quia novit, mihi rem cum pertinacibus eſſe, & qui legis minas, utpote in re lautâ & bene auctâ jam conſtituti, ſecuri ſperunt. Alij voce hebræâ, paulò antè declaratâ notari exiſtimant ruinas, & ſignificari, ne ipſa quidem rudera ab hac vindictâ fore immunia, & per homines in ultimo membro denotari eos, qui non adeò mali eſſent, ut reliqui, & tamen communibus involvantur miſerijs, quorum hoc non admodum impugno, illud verò ſcopo & vi vocis non ſatis convenire, nec ſequenti ἐξηγήσει congruere puto, ubi ſtatim de ipſis idolis in ſpecie agere incipit propheta, quæ hic notavit in genere. *non rudera.*

LOCI COMMUNES.

Ex verſu 2.]

I. *Omninò recepturus ſum omnia*] Deus peccatis graviter iraſcitur, & niſi de illis ſeria agatur pœnitentia, ſeverisſimè punit Pſ. 7, 7. 8. 9. 13. 14. 15. & 9, 17. *Peccata Deo exoſa.*

II. *Dictum Jehovæ*] Idem tamen mala ventura prædicit, etiam per plures ſæpe, ut homines inſtantia fata caveant pœnasq́ evitent ſeriâ reſipiſcentia, unde conſtat, non delectari eum interitu hominum, quâ de re cùm aliàs ſæpe, tum Amos 3, 7. Obadj. 1. L. C. 3. Jon. 1, 2. L. C. 2. Pſal. 8, 3. dictum eſt. *Mala Deus prædicit.*

Ex verſu 3.]

Homines & jumenta] Non tantùm propter peccata homines ipſi ſeu autores, ſed & bona eorum perduntur, & ſublatis hominibus, in quorum uſum condita ſunt animalia, neq́ his amplius à Deo parci ſolet. Exemplum eſt in diluvio. Vide etiam quæ allata ſunt Jon. 3, 7. *Homines cum ſuis bonis pereduntur.*

PARS POSTERIOR.

Et significat id est. Verf. 4.] *Et extendam* (Ubi conjnctio, alias copulativa, eft particula declarandi,& tantum valet, quantum hoc eft. ficut & Gen. 14,23. Num. 13,19. Deut.5, 16. 2. Sam.17,12. Zach.1, 4 & καὶ in N. T. Joh.10,33. Rom. 1,5. Matt.13,41. Col.2,8. & apud Virgil. lib. 1. Aen. v.31.

Judicium Paridis, fpretæq; injuria formæ,

& Hefiod. l. 2. Ἐργ. ἄςεου καὶ κινὸς ἀρχομένου) *manum meam fuper Jehudam,* fub quo intelligit & tribum Benjamin, *etiam præfertim* fiquidem hæ duæ tribus tantùm reftabant abductis ab Affyrio ceteris in captivitatem 2. Reg. 17. & i. e. præfertim feu inprimis (quomodo iterum peculiari modo conjunctio, ufurpatur, & tum præcipuè, quando illa poft genus additur fpeciei Jer. 4, 3. feu poft totum parti præcipuæ Marc.1,15. & 16, 7.) *fuper omnes habitatores Jerofolymorum,* quippe qui funt autores primi omnium malorum, unde meritò Deus puniturus à fanctuario fuo à fe defcifcente incipit Ezech.9,6. & in propinquis fuis, i. e. quos propius affumferat & arctiori fibi amoris copularat vinculo, quum ab ipfo declinant, fanctificatur primo omnium Levit. 10,3. Ex quibus facile *Manum extendere* conftare poterit, quomodo hoc loco phrafis illa fit accipienda, quando Deus dicitur manum extendere, nempe in malam partem, quæ alias eft ἐκ τῶν μέσων. Nam & de Deo placato in bonam partem accipitur, & fignificat protegere, defendere, tueri in pietate firmiter confiftentes Pfal. *fumitur in bonam* 138, 7.& 144, 7. & quandoq; vocare & invitare ad pœnitentiam lapfos Efa 65,2. Pro. 1,25. Sæpius tamen, quum de malis *& malam partem.* fermo eft, ut hoc loco, & de Deo irato, notat Dei ex ira percutientis geftum, Confer Exod. 7, 5. & 15, 12. Ef. 5, 25. & 9, 12.

& 9, 12. 17. 21. & 10, 4. & 14, 27 & 31, 3. Jer. 6, 12. Ezech. 16, 27. & 14, 13. & 25, 7. infra c. 2, 13. cui similis phrasis est, emittere manum Job. 1, 11. & 2, 5. Manus enim & dextra Dei ejus virtutem ἀνθρωποπαθῶς denotat, & proinde extendere manum, est virtutem exercere, tam in defendendis bonis, quàm puniendis malis. Et hoc posteriori modo h. l. adhibitam esse phrasin hæc verba sequentia satis probant: *exscindam è loco hoc residuum Baalis*, non, ut nonnulli interpretantur, quod Josias vestigare non potuerat in sua reformatione ac repurgatione (eam enim, quum hæc propheta diceret, nondum fuisse peractam, sequentia satis arguunt, præsertim si conferantur cum ipsa reformationis ab hoc rege institutæ historiâ 2. Reg. 23. & 2. Chron. 35. prolixè descripta) sed quicquid post decem tribus in Assyriam abductas in populo Dei etiam regno Judæ permansit. Quamvis interim non negem, etiam post factam restaurationem quasdam remanere potuisse idololatriæ reliquias (id quod tamen non satis benè colligunt quidam ex 2. Reg. 23, 5. & Jerem. 2, 20. 28. cum ibi dicatur contrarium, hoc verò ante repurgationem prolatum fuisse videtur) tantum hoc dico, statim post eam non licuisse ulli, neq; ab ullo fieri impunè potuisse, stellis super tecta sacrificare, & Melechum publicè colere, quoniam Josias omnia instrumenta, quæ fuerant parata Baali, totiq; exercitui cœlorum, combusit, atratos abolevit, & eos, qui adolebant Baali, Soli, Lunæ ac planetis, deniq; toti exercitui cœlorum; prohibuit, nequis traduceret per ignem liberos aut offerret Melecho, equos & curris solis cõbusit igne &c. quod tamen hoc loco factum esse dicit. Si itaq; obtinet illorum sententia, coluissent homines idola è medio jam sublata, per instrumenta combusta, per sacerdotes ab officio remotos.

Hæc dicuntur de tempore ante reformationem Josiæ.

remotos &c. Neq; est quod dicas, privatim illa sacrilega sacra fuisse peracta, cum contra illa ageret noster propheta: facit enim statim mentionem atratorum & sacerdotum, tamquam publicorum ministrorum, qui post Josiæ instaurationem non amplius supererant. Et quomodo id fieri poterat claneculum, quod in conspectu omnium fiebat super ipsa tecta, hoc est, publicè? quod infra declarabitur. Sed redimus ad textum, ubi dicitur, quod Deus sit excisurus reliquum Baalis, quod adhuc in regno Judæ, *& nomen atratorum cum ipsis sacerdotibus*, quos Tremellius ita differre dicit, quod atrati sint voluntarij hominum privatorum autoritate cooptati, sacerdotes verò ordinarij, quod tamen ubi habeat fundamentum, non video. si quid in re non satis liquidâ divinandum, id potius credo, fuisse sacerdotes, quotquot Dei veri erant ministri, à quo tamen jam retrocesserant per apostasian: atratos autem, qui nunquam verum Deum in isto suo officio, sed semper idola coluerunt, id quod nomen כְּמָרִים quodammodo innuit, quod est à כָּמַר flagravit, æstuavit intus in visceribus, & extus in corporibus, ex adustione atratus est, & vel à nigris seu pullis vestibus, quas ex ritu superstitioso gerebant, vel à nimio ardore in prava religione ita dicti sunt. Drusij conjectura longiùs petita & fallax videtur, quando ait, quod per illam vocem tantum sacerdotum seniorum impuberes ministri denotentur, qui per diminutionem in Hetrusca lingua inde postea dicti sint Camilli, ut testatur Servius in 11. Aen. Varro de ling. lat. Macrob. l. 3. Saturn. c. 8. Nam. 2. Reg. 23,5. Hos. 10,5. integer ordo sacrificulorum tam seniorum quàm juniorum hac voce denotatur. Elias in תשבי nuncupatos dicit ab eo, quod simul conclusi in uno loco retinebantur, & tum nostrum

Atrati.

Sacerdotes.

כְּמָרִים

non sunt tantum impuberes ministri,

similes nostris monachis.

Kamm

Kammer rectè ei cognatum est vocabulum, quomodo locum, ubi monachi vel monialis habitant, vocatum esse dicit, qui hodie à claudendo Kloster/ & Klausen nobis dicitur.

Vers. 5.] Et hæc obiter notasse libuit: ad verba textus revertimur, in quo porrò astrorum cultus graviter reprehenditur à Deo, dum ait, se excisurum quoq; eos, *qui incurvant se* honorem divinum exhibentes, non tantùm privatim in conclavibus, sed etiam publicè, hoc est, *super tecta* (quæ in illis regionibus plana, & non, ut nostra, in formam coni fastigiata, & proinde ad publicè aliquid edicendum vel peragendum satis idonea. quod ut rectiùs intelligas, confer Deut. 22,8. 2. Sam. 11, 2. Matth 10, 27. Actor. 10,9. Jud. 9, 51. & 16, 27. Marc. 2, 4. Luc. 12,3.) *exercitui cœlorum*, hoc est, Soli, Lunæ, & reliquis stellis, quæ quia sunt ordine more militiæ seu exercitus dispositæ, ita dicuntur, & quia his tecta domorum sunt maximè exposita, in illis ipsorum peragebantur sacra. Deut. 4,19. & 17, 3. 2. Reg. 17,16. & 21,3.5. 2. Chron. 33, 3. Jer. 19, 13. & 44,17. sed & mixtura religionis rejicitur, quando prædicitur, fore, ut exscindantur, *qui incurvantes se jurant Jehovæ*, non, ut Tremellius ac Junius vertunt, per Jehovam, siquidem non est in textu בַּיהוָה, sed לַיהוָה, & notat eos, qui Deo se addicunt, veræq; ejus religioni se consecrant 2. Chron. 15, 24. *& tamen simul jurant per Melechum suum*, per Synecdochen frequentissimam. conf. Esa. 45 29. Rom. 14, 11. colunt eum loco veri Dei, imo dicunt & profitentur, non se colere idola ista muta, sed per ea & in eis Deum verum ac vivum, ut quondam Israelitæ in deserto Exod. 32,4. 5. quem regem cœli Melech. (מֶלֶךְ) ille denotet, de quo pluribus Amos 5, 26. & 7, 12. Act. 7, 43. Atq; ita hi

Super tecta.

Exercitus cœlorum.

Jurare.

reve-

revera in duas partes claudicabant 1. Reg. 18, 21. quod & ibi Elias, & hîc Sophonias graviter redarguit.

Vers. 6.] Quin nec illos præterit, qui quidem Deos falsos ex professo non colebant, â Deo tamen vero per impietatem nihilominus defecerant, & ut milites ignavi ex castris Jehovæ, cui in circumcisione Sacramentum dederant, profugere, quia etiam illi perdentur, *qui retrò aguntur* ac retrocedunt *à sequendo Jehovam*, ne eant deinceps post Dominum, quomodo ם negativè sæpè accipi solere, demonstratum est Jon. 4,3. Dabunt igitur & ipsi pœnas, & quotquot in sua malitia pergunt, nec de resipiscentia cogitant quidem, *qui non quærunt Jehovam*, non amant illum, non curant, non amplectuntur ejus doctrinam, sed ipsum spernunt, ejusq; verbum, quomodo negatio vehementissimam contrarij affirmationem innuit, ut alias exemplis pluribus probatum est, ex quibus jam libet notare hæc pauca Prov. 10,2. & 18,5. & 23, 3. Ps. 83, 2. Amos 1, 3. & 2, 4. Joh. 1, 20. & 3, 15. 16. 17. 36. & 5, 24. Rom. 4, 19. Hab. 2, 4. & phrasis ipsa, Quærere Dominum, ejusq; ἔμφασις explicata est Amos 5, 4. 6, 14. quamvis pro instituti mei ratione, breviùs, unde lucem facies aliquam illi loco, Quærite primùm regnum Dei Matth. 6, 33. quandoquidem totum cultum divinum complectitur, & serium pietatis studium. Ut verò tantò melius id propheta noster hoc ipso in loco indicet, per geminationem verbi idem fere significantis exaggerationem instituit, *neq;* illi homines profani *requirunt seu investigant* illum Deum verum, â quo turpiter recesserunt. Lutherus eleganter hæc expressit in versione germanica, die vom HErrn abfallen/ vnd die nach dem HErrn nichts fragen/ vnd jhn nicht achten.

Negatio contrarii vehementer affirmat.

Quærere Deum.

Vers.

Verſ. 7.] Et hactenus Sophonias ſatis acriter caſtigavit idololatras varios & apoſtatas: quia a. homines ita à miniſtris verbi accuſati ſolent vel reſponſare, ſuaq; flagitia palliare & defendere, vel, ſi id fieri non poteſt, externis præſidiis contra pœnam imminentem ſe conſueverunt munire, utrumq; propheta hîc præoccupat, quaſi dicat: Ne putes, ô idololatra, te obloquendo effecturum, ut probetur Domino cauſa tua mala: confecta atq; evicta eſt, tantùm te para ad ſubeundum, quod meruiſti, judicium, ſcito, non vanas eſſe minas, quas prænuncio, cogita, te coram Deo ipſo conſiſtere, neq; ei in faciem obloquitor. *Sile*, ne reſponſes aut murmures, ſed metue, ut, qui aliquem metuunt, coram eo tacent, quomodo ſatis benè id hoc loco græci vertunt per εὐλαβεῖσθαι, & de ipſa voce הס vide plura Hab. 2, 20. & in locis ibidem ex Amos citatis. Sile, inquam, *à conſpectu Domini Jehovi*, Dei veri triunius Amos 1, 8. cui omnes res creata manifeſta, Heb. 4, 12. & qui te quoq; novit optimè. Lutherus, Sei ſtille für dem HErrn HErrn / ſile ſaltem, quia non procul abſunt pœnæ, quas non effugies, quum Deus ipſe tuos hoſtes amaverit. *propinqua* enim *eſt dies Jehovæ*, quâ declarabit, ſe eſſe Deum, & veracem in dictis vide Ioel. 2, 1. & 3, 14. Amos 5, 18. 20. Obadj. v. 15. & certè propinqua erat dies iræ, cum hæc dicebat propheta. Nam poſt mortem Ioſiæ regnum Judæorum continuas clades pertulit, donec everſum eſt funditus. ſic infra v. 14. Cur verò eſt dies Iehovæ? *quia apparavit Jehova hoſtiam*, Lutherus benè vertit, der HErr hat ein Schlachtopffer zubereitet/ victimam, i. e. mactanda animalia, improbos vos ad cædem deſtinavit, ut victimas ad ſacrificium ipſi gratum (ita enim nomen abſtractum זֶבַח ſacrificium ſeu mactatio pro

הס

Dies Jehovæ.

זֶבַח *i. e.*

animalia mactanda

pro animalibus mactandis accipitur, ut Esa.34,6.Jer.46, 10.Ezech.39,17.) & præparavit Deus hoc lautissimum & maximum convivium suis invitatis, quos ad id peculiariter delegit, destinavit, atq; adeò præparavit, segregavit, & *sanctificavit*, ut verbum hebræum sonat, *vocatos suos*, hostes vestros Ægyptios, Babylonios, eorumq; auxiliares, quos ad hoc sanctum justitiæ opus exequendum ordinavit, eisq; cum jam mactaverint & cæciderint vos, corporaq; in agris hinc inde projecerint inhumata Deut. 28, 26. adducet animalia carnivora, ut aquilas, vultures, lupos, canes &c. quæ etiam tum satis lauto excipiet convivio, quò respiciens Lutherus reddit, der HErr hat seine Geste dazu geladen/ quæ omnia, phrasin, inquam, & rem, esse hoc loco ut intelligas, inspice & confer diligentius 2.Reg.23,29.& 24,15. Es 13,3. Jer.6,4. & 12, 9.& 25,33.34. Ioel.1,14.& 2,16.& 3,9. Sir.35,8.1.Tim.4,5. Apoc.19,17.18.

Deus animalia carnivora vocat ad convivium.

Vers.8.] Dixi a. Deum lautissimum instituturum esse convivium, idq; amplissimum, ad quod invitaverit plurimos: quibus verò epulis eos suos convivas excipiet? apponet, parabit, & vescendas dabit omnis generis epulas exquisitissimas, & primus missus certè erit omnium delicatissimus. Quisnam vero iste? inquis. audi Deum ipsum hujus convivij arbitrum, sic dicit: *Erit a. die mactationis Jehovæ*, quo die ego Iehova mactabo improbos ut hostiam, ne potentiores sperent se fore à malo immunes, futurum est, *ut visitem*, ex ira *contra principes*, animadvertamq; in eos primùm omnium severissimè, & in filios ipsius regis. cum qua prædictione confer eventum Ier. 39, 6. 2. Reg 23,24 25.& ult. capitibus. Non n. eos tantùm puniam, quibus vix in sentina navis Reip. est locus, sed & il-

Puniuntur principes,

los vel imprimis tãget malum, qui sedent in puppi, quiq; clavum tenent imperij Neq; verò hos tantùm calamitas affliget, sed & omnes, qui regum & principum libidini inserviunt, tam in luxu adornando, quàm sumptus ei suppeditando, siquidem animadvertam *in omnes, qui induuntur indumento alienigenarum* seu peregrino, qui delitijs circumfluunt, ac vanitati student, palamq; ostendunt, se id unice agere, summâq; ope niti, ut strenuè luxurientur, omnisq; generis delitias sectentur, dùm exoticos mores & vestes invehunt, & hoc ipso summam animi sui levitatem produnt, quem patriè luxus nequeat satiare. Ita n. & verba ipsa & cohærentia textus (in quo non agitur de hominibus in statu Ecclesiastico, de quibus sup. v. 4. sed de iis, qui vivunt in statu politico) hoc membrum potius accipiendum esse, monent, quâm ut cum alijs interpretemur idipsum de sacerdotibus idololatricis, qui preciosis vestibus exoticis induti sua celebrabant sacra. quod ut non nego fuisse factum, tamen his verbis immediatè designari (salvo meliùs sentientium. suaq; ex scriptura probantium judicio) non puto, nisi dicere velis, D. Lutherum & alios in specie κατ' ἐξοχὴν eos nominare, qui sub genere possunt contineri. Ille enim rectè vertit, alle die ein frembd Kleid tragen / & in margine exponitur, nemblich in jhren Götzendienst als Meßgewand / Chorkappen. Nos (salvo honore tantis viris debito, â quibus etiam libenter doceri cupimus meliora) priori sententià retentâ existimamus hic quatuor genera eorum hominum indicari, qui epularum loco in convivio Dei velut quatuor missus sint apponendi I. Principes, regumq; filij. II. vestitu extraneo utentes, ut magnates politici v. 8. III. aulici ministri & præfecti v. 9. IV. mercatores v. 11.

eorumq; ministri.

qui veste peregrinâ utuntur.

Non agitur hic de sacerdotibus.

Verſ. 9.] De quobus prioribus generibus vidimus: accedamus ad tertium, de quo ſequitur. *Et animadvertam in omnem, qui inſilit in limen, die illa, & eos omnes, qui implent domum dominorum ſuorum violentia, & dolo.* In quo verſu, niſi iterum conſtaret, agi de famulis magnatum politicis, & niſi membrum poſterius explicaret priùs à pleriſq; interpretibus (quorum nonnullorum, dum textus cohærentiam & phraſium emphaſes negligunt interpretationes malè cohærent cum textu & ſecum ipſis) abiremus incerti & dubij. Quidam n. eos intelligunt famulos, qui ſuis ſaltationibus ludicris & artificioſis dominis ſuis erant voluptati, ijsq; faciebant delicias. ſed non ſatis benè. quî n. iſti violentiâ & dolo, hoc eſt, opibus per vim & fraudes partis ædes dominorum implerent? Alij exiſtimant notari cultores Dagonis, qui peculiari de cauſa (de qua 1. Sam. 5, 5.) limen non calcabant, unde Chaldæus vertit hæc verba, & eos, qui ambulant in ritibus Philiſtæorum, Sed neq; hic agitur de idololatria, de qua in ſuperioribus ſatis prolixè, nec pro illis militat ſubjecta ratio, quæ eſt deſumpta à rapinis, nec verbum דָּלַג id innuit, quod non ſignificat, ex metu non audere tangere, ut illi ſacrificuli faciebant, ſed præ lætitia ſubſilire, magnaq; cum fiducia ac potentia, quod docet locorum, ubi extat præterea in Biblijs, collatio 2 Sam. 22, 30. Pſal. 18, 30. Cant. 2, 8. Eſ. 35, 6. Quos igitur tandem propheta denotat? famulos exiſtimo magnatum eos, qui erant effractores & adminiſtri ejus violentiæ, quam ſuperiores in inferiores & tenues adhibebant, maliſq; artibus, ubi viribus non erat locus, ſuis Dominis erant quæſtui, quiq; magna cum fiduciâ & alienas domos invadebant, bona occupabant, & quando prædâ onuſti domum redibant, præ læti-

Quiſnam ille, qui inſilit in limen.

non ſaltator ludicrus,

nec cultor Dagonis,

דָּלַג

ſed miniſter magiſtratus mali.

tia

tia limen Dominorum suorum simul transiliebant, cui sententiæ Lutherus in versione germanica non repugnat ita vertens, so vber die Schwelle springen.

Vers. 10.] Hæc verò est magna violentia, magna nequitia, & animadversione dignissima, quæ jam subjungitur per hypotyposin, quâ pœnæ magnitudo & ejulatus futuri repræsentatione adumbratur, siquidem erit olim ut propter hæc flagitia tota Ierosolymorum urbs, tribus suis oppidis distincta, luctuosâ vociferatione personet. *Nam erit die illa* visitationis iratæ, *dictum Jehovæ*, & proinde verum certum ac ratum, *vox clamoris* à pueris, senibus, virginibus, matronis excitati tempore expugnationi *à porta piscium*, quæ Diospolin & Ioppen ducebat versus mare occidentale seu magnum, & per quam pisces è mari advecti in urbem afferebantur, quæque ad civitatem Davidis pertinebat, 2. Chron. 33, 14. & cujus fit mentio Nehem. 3, 3. *& ejulatus à parte secunda*, quæ denotat alterum Ierosolymorum oppidum 2. Reg. 22, 14. & *confractio* seu contritio *magna*, magnus dolor ex magna calamitate *ab ipsis collibus*, seu ea urbis parte, in quâ colles, qui extremitati oppidi tertij impendebant versus portam sterquiliniorum, ubi erat olivetum Ierem. 31, 39. alijque montes in vicinis agris, ubi vox aeris repercussione geminata Echo latiùs & horribilius dispergi ac divulgari poterat, quomodo Lutherus vertit, ein groß Jammer auff den Hügeln. Duplex enim erat hæc civitas præter arcem rupi impositam, quæ tertiam ejus constituebat partem, unde in textu hebræo nomen habet dualis formæ, illarumque altera in sorte Iudæ erat Iof. 15, 8. 63. altera Benjaminis cum Iuda communis, arx verò solius Benjaminis, quæ expugnavit & occupavit David 2. Sam. 5, 6. 7. 9. 1. Chro. 11, 4.

Jerosolyma tribus oppidis distincta.

1. Porta piscium.

2.

3.

יְרוּשָׁלַ͏ִם

15,4.5.7.8. Confer Ioseph. lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. Druſ. l. 14. Obſ. cap. 21.

מִשְׁנֶה. Hæc ſententia etiam hujus loci, ſatis ob intermediam vocem generalem מִשְׁנֶה intricati, & variè â varijs explicati, mihi videtur omnium ſimplicisſima, quam habet Eucherius in tractatu de quæſtionibus V.T. eamq; approbant Druſius, Iunius. Kimchi non portam, ſed ſcholam deſignari putat, fretus autoritate Chaldæi paraphraſtæ, qui Reg. 22.14. hebræam vocē interpretatur בֵּית אוּלְפָּנָא i. e. domum doctrinæ, quaſi dicas, repetitionum locum, quæ interpretatio (inquit Tremellius) uſui Hebræorum in commentarijs recepro convenit, ſed in ſcripturis ſine exemplo eſt, ſi benè obſervavimus. R. Salomo & cum hoc Lutherus, portam ſubaudit, eamq; numero ſecundam inter reliquas fuiſſe exiſtimat. Hieronymus, & cum eo Ribera portam ſecundi muri intelligit, quia urbs triplici muri cincta eſt, ut refert Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. quas varias variorum interpretum ſententias propterea præter morem afferre placuit, ut inde noſtræ ſimplicitas confirmaretur, quæ & ſcopo prophetæ maximè congruit, qui eſt, ut declaret nihil in tam ampla civitate ab ejulatione fore immune aut vacuum, quam ob cauſam etiam hæc ſubnectit:

מַכְתֵּשׁ. Verſ.11.] *Ejulate* deinceps, qui hactenus cantaſtis, *vos habitatores* הַמַּכְתֵּשׁ i. e. *pilæ* ſeu mortarij, quod à contundendo nomen habet Prov. 27, 22. Et quia hoc non tantùm olim aromata. aliaq; ciborum condimenta, ut etjamnum hodie, ſed cum deeſſent molæ, quæ longo demũ poſt tempore ſunt inventæ, etiam ipſa frumenta pinſerentur, Lutherus hoc reſpectu ad noſtra tempora habito recti-

rectissimè vertit, *die jhr in der Mühlen wohnet/* quia quod nobis hodie sunt molæ, illis olim erant pilæ. Nam agit hoc loco propheta de ipsis mercatoribus, qui cum alia ad luxum requisita, tum inprimis in usum vitæ necessaria frumenta contusa & arte parata aut tosta vendebant. Alij plerique interpretes per metaphoram hoc nomen adhibitum esse hoc loco putant, quod quemadmodum mortarium magnam intus habet cavitatem, designari ea voce illos, hoc loco, qui non locis liberis, sed cavis, depressioribus & tutioribus habitabant, ut mercatores metuentes suis mercibus & nummulis, atq; ita conferunt cum hoc loco Jud, 15, 19. & Neh. 3, 80. quæ sententia nostræ non est contraria, sed subordinata, & cū eâ satis bene congruit, siquidem & fora plerumque sunt in locis civitatis intimis, & plateæ vicinæ mortariorum tinnitu crebrò perstrepuunt, & ipsæ ædiculæ institorum sunt plerumque valde angustæ, dum hoc agunt, ut in loco mercibus distrahendis idoneo habitent, sicut videre est etiam apud nos *im Ortsunde/ auffm Schilde.*

Nequis autem objiceret, alijs possunt hi confidere, qui eos defendent suis opibus, præoccubat & hoc propheta ostendens, omnes omninò succisum iri, ita ut in silentium redigantur, quæ est verbi נִדְמָה (de quo Obadj. v. 5.) *ἔμφασις, quia succisus est totus populus Canaan,* vel mercaturam faciens, *das gantze Krämer Volck ist dahin /* ut Lutherus interpretatur. Et notandum, quod hoc loco propheta ludat ex ambiguo in nomine כְּנַעַן, quod modo proprium seu gentilitium, modo appellativum est, ut indicet suos populares cum moribus Cananæorum impurissimis, qui mercaturæ erant maximè dediti & fraudulenti Hos. 12, 8. idem nomen sibi comparasse, idemque judicium Dei sua mala vitâ כְּנַעַן

promeruiſſe & velut acquiſiviſſe, quod certiſsimè ſecuturum erat, id quod ſequens membrum teſtatur, *exciſi ſunt omnes portantes argentum*, ut negociatores, argentarij, item quilibet pecunioſi ac opulenti, quo reſpiciens Lutherus interpretatur, vnnd alle / die Geld ſamlen / ſind außgerottet.

Verſ. 12.] Jam dicat quiſpiam hac acerbitate judicij divini cognitâ, Deum agere cum ſuo populo durius: etiam hanc rimam Sophonias obſtruit, & oſtendit, quàm ille fuerit contumax ac pertinax. *Erit tempore illo* (quæ verba etiam loquentis Jehovæ ſunt) *ſcrutabor Ieroſolymam lucernis*, hoc eſt, exactiſſimè. Ut enim aliquis accenſâ lucernâ abſtruſiſſima quæq;, & in tenebris latentia rimatur ſedulò Luc. 15, 8. ſic ego ipſam urbem totam incendam, ne quis latere posſit in tenebris, ut protraham in lucem, quod ipſi admiſerunt in occulto, qvum minutatim de peccatis eorum cogniturus, & cum eis rationes meas accuratisſimè initurus ſum, *ut animadvertam tandem in iſtos homines, qui concreti ſunt cum fæcibus ſuis*, græci, ἐπὶ τὰ φυλάγματα αὐτῶν, quomodo optimè cum vocis hebrææ ἐτύμῳ congruunt (ut enim שְׁמָרִים â שָׁמַר i.e. ſervavit, cuſtodivit, quod vinum ſuper fæces conſervetur, ſic φυλάγματα ἀπὸ τοῦ φυλάσσειν) Lutherus die auff jhren Hefen ligen / hoc eſt, interprete illo in margine, ſicher ſein / als ein wein / den man nicht ablaſſen werde / quomodo eadem phraſis uſurpatur Jerem. 48, 11. & denotat eos, qui non commoventur minis legis, neq; ipſorum temporum converſionem ſentiunt, ſed in peccatis ſuis obduruerunt prorſus ſine ullo conſcientiæ ſenſu, ridentes Dei minas per prophetas prædictas, obfirmateq; hærent in ſuo malo, ut fæces adhærent dolio, eisq; vinum innatat, & hi

Scrutari lucernis.

שְׁמָרִים φυλάγματα.

Concreti cum faeci bus ſuis.

illi sunt, *qui dicunt cum animo suo*, in corde ita secum cogitant, quum palam Dei providentiam negare non ausint Psal. 14, 1. *non benefacit Jehova, neq; malefacit*, nec juvat bonos, nec punit malos, nihil hæc mortalia curat, &, ut de suo Deo epicuræus poeta scriptum reliquit, nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ. Lutherus benè expressit illas cogitationes his verbis, der HErr wird weder guts noch böses thuen.

Dei providentia negatur.

Vers. 13.] Quid autem ad eas cogitationes impias cœli Dominus? Ipsi, inquit, hi improbi suo exemplo mox testabuntur contrarium. Me enim ex justitiâ ita dirigente, *erunt facultates eorum direptioni*, cedentq; Chaldæis, quas ipsi injustè aliis vel vi eripuerant, vel fraudibus subtraxerant, supra v. 9. & 11. *& domus eorum*, quas ipsi ex aliorum laboribus ædificaverunt, erunt *desolationi.* Nam quas minas olim legi meæ subjeci, ejusque transgressoribus Lev. 26, 32. Deut. 28, 30. proposui, eas jam in hisce exequar, *ædificabunt quidem domos sed non inhabitabunt, plantabuntq; vineas, sed non bibent vinum earum.* Confer Amos 5, 11. Mich. 2, 2. 4. & 3, 10. 12.

Vers. 14.] *Et hæc dies iræ Jehovæ* sup. v. 7. *est propinqua, propinqua* inquam, *& festina valde*, ejusq; effecta erunt valde atrocia. Propinquam esse illam diem dixi. Nam jam adest *sonus diei Jehovæ* in auribus meis, jam strepitum armorum præsentio, & ut poeta ait, Ovid. 5. Fastor.

Sonus diei Jehovæ.

Fallor? an arma sonant? non fallimur, arma sonabant:
Mars venit, & veniens bellica signa dedit.

sic ego cum regio propheta, vox Jehovæ Dei fortis intonat; decorè, potenter &c. Ps. 29, 3. 4. 5. & cum Jeremia c. 4, 19. 20, 21.

20. 21. doleo præcordia mea, non possum silere, nam sonum buccinæ audis anima mea &c. & ille sonus diei Jehovæ tam horribilis est, ut eo audito *amarè clamet* ac ejulet *vir robustus*, quantò magis igitur reliqui imbecilliores? illo die Judæi, qui nunc suis viribus præfidunt temerè, & se pro robustissimis venditant, amarissimos ejulatus edent, destituti omni robore, id quod Lutherus satis dilucidè expressit, **Wen das geschrey vom tage des Herren kommen wird/ so werden die starcken alsden bitterlich schreien.**

Dies vastitatis.

Vers. 15.] Et meritò, *quia dies illa est dies furoris; dies angustiæ & oppreßionis, dies vastitatis*, & quidem *vastißimæ*, id quod litera in sequenti voce addita notat; quando dicitur, שׁוֹאָה וּמְשׁוֹאָה (sicut Nahum 2, 11. בּוּקָה וּמְבוּקָה) i. e. tumultus & tumultuationis, θορύβου καὶ θορυβήματος, **ein tag des Wetters / ja Vngewitters oder Vngestümbs /** ut cum Drusio, græcis interpretibus & Dn. Luthero aliquo modo elegantiam textus hebræi æmulemur, est *dies tenebrarum & obscuritatis, dies nubis & caliginis*, hoc est omnium calamitatum, afflictionum & malorum plenißima, ut explicatum est pluribus Joel. 2, 1. 2. 3. Amos 5, 18. 19. 20. & cum toto hoc loco confer Jer. 30, 5. 6. 9.

Et tenebrarum.

Vers. 16.] Unde verò tanta calamitas? quia illa ipsa dies est *dies buccinæ & clangoris* hostilis, quo valde perterrentur homines, nec tantùm contra oppidula ac pagos, quibus non sunt magnæ vires aut præsidia, sed *contra civitates munitas* & contra *angulos altißimos*, hoc est, contra arces ac turres munitißimas, quales in murorum angulis solent ædificari. Lutherus ergò rectè, **wieder die hohen Schlösser.**

Anguli.

Vers. 17.] Die autem clangoris bellici, inquit porrò

Jehova,

Jehova, *angustiùs efficiam*, arctéque premam *homines illos*, qui erunt in istis locis munitis, & in turribus excelsis, ubi se tutos esse existimant, *ut ambulent tanquam cæci* in perpetuis tenebris & calamitatibus, ut nescientes, quid se agant, quid priùs incæptent, quid exequantur posterius, nullam spem vitæ aut salutis prospiciant, idq; propterea, *quia Jehovæ peccaverunt*, Lutherus ἐμφατικωτέρως, darumb daß sie wieder den HErrn gesündigt haben/ ita eos deprimam, ut nihil ipsis vilius aut abjectiùs esse queat, siquidem futuri sunt ut pulvis & stercus, *quoniam effundetur sanguis eorum* copiosissimè & abjectissimè *ut pulvis*, quo nihil vilius Matth. 10, 14. Actor. *13*, 51. & 18, *6*. (De ipso usu comparationis vide quæ prolixius dicta sunt Amos 2, 4. Mich. *1*, 10. & 7, 17. & confer phrasin, sicut arena maris, de qua Habacuc 1, 9. *& caro eorum*, corpora seu cadavera projicientur per agros, non secus ut lætamen sive fimus, quando stercoratur ager, atq; adeò non aliter *atq; ipsa stercora* quod Lutherus eleganter extulit Ihr Blut sol vergossen werden / als were es staub / vnnd jhr Leib/ als were es Kott.

Sanguis effunditur ut pulvis.

Vers. 18.] Non itaque est quod quis ex illis confidat suis consilijs aut prudentiæ, quia dementati atq; inopes consilij hinc inde vagabuntur. Neque est quod quicquam spei aliquis habeat in suis opibus, quibus putet se posse conducere militem externum, quandoquidem eripientur ipsis sup. v. 13. *Neq; argentum eorum, neq; aurum eorum poterit eripere eos die furoris Jehovæ* (de quo v. *14*. 15. *16*.) *quum igne zeli ipsius consumetur hæc tota terra* Ezech. 38, 19. *Nam* Jehova properè ac sine mora consumet hujus regionis habitatores, *consummationem utiq; acceleratam confecturus est cum omnibus habitatoribus hujus terræ*; Lutherus er wirds plötzlich ein ende machen/

Nullum consilium aut potentia adversus Dominum.

Zelus Jehovæ.

machen/ quia zelus Jehovæ pro sua sponsa seu Ecclesiæ veris membris, contra putrida, quæ defecerunt ab eo, graviter exarsit tanquam in adulteram, qua de re vide plura Joel. 2, 18. Nahum 1, 2. & 3, 4.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 4.]

Peccata notoria arguenda apertè.

I. *Extendam manum super Judam*] Peccata non tantùm in genere reprehendenda sunt, sed etiam in specie singulorum, si sunt notoria, exemplo Eliæ 1. Reg. 18, 18. Christi Matt. 23. & 11, 20. apostoli 1. Cor. 5, 1. 1. Tim. 1, 20. Johannis baptistæ Mat. 14, 4. Amos, c. 7, 16. Samuelis 1. Sam. 15, 16. Nathanis 2. Sam. 12, 7. Gadis 2. Sam. 24, 13. Petri Act. 8, 20. Pauli Actor. 13, 10. Gal. 2, 14. ubi verbi ministro primario dixit ἔμπροσθεν πάντων, & hoc loco nostri prophetæ, qui Judæ & Jerosolymæ sanctæ illius urbis & metrpolis expressam facit mentionem, cum tamen huic insignes factæ essent promissiones, Psal. 132, 14. & 122, 1. 2. sed quas malè accipiebant & urgebant hypocritæ Jer. 7, 4. Quisq; igitur fidelis verbi divini præco nocte dieq; non cesset cum lachrymis instruere unumquemq;, ut fecit Paulus, δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους Act. 20, 20. 21, 31. vigilet pro animabus auditorum tanquam pro singulis rationem redditurus Heb. 13, 17. inspice Ezech. 3, 3. & 33, 8. Galat. 6, 6. 1. Tim. 3, 15. 1. Cor. 4, 1.

Ecclesia potest deficere.

II. Quia hoc loco tam graviter reprehenditur ipsum regnum Judæ & urbs sancta Jerosolyma, quod sint prorsus mutata ab illis, quæ quondam fuerant, videmus, veram Dei Ecclesiam, sibi relictam, ob flagitia â Deo posse deficere, & planè degenerare, quod negant pontificij contra exempla

pla manifesta, etiam in N. T. Galatarum Gal. 3, 1. Romanorum, Rom. 11, 19. 20.

Ex versu 5.]

I. *Exercitui cœlorum*] Hodie quidem apud nos non adorantur stellæ, est tamen species quædam idololatriæ satis usitata in astrologia judiciaria, quæ etiam damnanda est, quamvis non item Astronomia, vide Mich. 5, 11. 12. Nahum. 3, 4.

Astrologia.

II. Idololatriæ turpitudo ex propheta exaggeretur, quando creaturæ plus coluntur quàm creator Roman. 1, 23. 25.

III. Deus non aliter vult coli, quàm ipse in suo verbo præcepit. Vide in Amos 5, 25. 26.

Ex versu 6.]

Tum qui retrò aguntur à sequendo Jehovam] Si multi ex renatis deficiunt Luc. 8, 13. & multi ex discipulis Christi retrò abeunt Joh. 6, 66. & post agnitam veritatem retrò convertuntur 2. Pet. 2, 20. 21. 22. quomodo verum erit, quod dicunt Calviniani, verè renatos gratia Dei non posse excidere; sed tantùm eos, qui tales visi? Is enim non potest retroagi, qui nunquam in viâ recta procesſit: is non potest recedere à Jehova, qui nunquam ei verè adhæsit: is non potest retrocedere, qui nunquam Jehovam verè est secutus. Nemo verò, qui injecit manum aratro & respicit retrò, appositus est ad regnum Dei Luc. 9, 62. & non effugiet ignem æternum seu partem in palude infernali, pice & bitumine ardenti, cujus rei exemplum præbet uxor Lothi Gen. 19, 17, ut Christus ipse explicat Luc. 17, 31. 32. Non enim sufficit benè cœpisse in pietatis cursu, sed ille est consummandus 2. Tim. 4, 7. & perse-

Ἀποστασία sanctorum probatur, contra Calvinianos.

persequendum, ut apprehendamus Phil. 3, 12, ita currendum, ut metam attingamus 1. Cor. 9, 24. ne gratiam Dei frustra acceperimus 2. Cor. 6, 1. conandum igitur ne quis nos ex cursu revocet, Gal. 5, 7. tenendum, quod habemus Apoc. 3, 11. sis fidus usque ad mortem ibid. c. 2, 10. quære & inveniens Matt. 7, 7. quære dominum, dum inveniri potest, Es. 55, 6. nam anima quærentium Deum vivet Psal. 69, 33. & 70, 5. qui quærit Dominum, præsto erit ipsi, & qui derelinquid eum derelinquet eum 2. Chron. 15, 2. 4.

Ex versu 7.]

Omnes semper stamus in conspectu Dei.

I. *Sile à conspectu Domini*] Cogitent omnes semper, se in conspectu Dei vivi stare, & si quid ex malitia peccant, ipsos ei non minorem inferre injuriam, quam si dicat servus regi in faciem, Tu mentiris. Quid enim est aliud, ore profiteri Deum, & factis abnegare, quàm dicere, tu quidem ò Deus, dixisti, te omnes transgressores legis nefarios puniturum, sed hoc non est verum, experiar. Exemplo sunt Israelitæ, qui toties propterea dicuntur Deum tentasse in deserto, quum experimento discere cupiebant, num Deus esset inter ipsos, ut dixerat, num etiam posset præstare quod promisisset. Et hoc est grande illud peccatum, quod tam atrociter in illis est punitum. Caveamus nos à similibus peccatis, qui cupimus evitare easdem pœnas, & Deo tam in promissionibus, quàm minis credamus, ne ei velut mendaci fidem derogemus 1. Joh. 5, 10. quod est crimen læsæ majestatis divinæ, quod licet apud multos sit usitatum nemo, nisi qui seriam agit pœnitentiam, & propter Christum in gratiam recipitur, inultum auferet.

II. *Apparavit Jehova mactanda animalia.*] Quos Deus

Deus creavit ad vitam, eos propter peccata per justitiam morti destinat Sap. 1, 13. & 2, 23. Roman. 5, 12. & 6, 23. Sir. 21, 14.

Ex versu 8.]

I. *Animadvertam in ipsos principes*] Deus inter magistratus judicat Ps. 82, 1. eosq; diligenter observat Eccles. 5, 8. & si quid per petulantiam committunt, judicium severum exercetur in eos, qui præsunt, & potentes potenter olim inquirentur Sap. 6, 6.

Magistratuu delicta puniuntur

II. *In omnes, qui induuntur indumento alienigenarum*] Magna est hæc hominum pravitas, quod quibus suæ miseriæ & lapsus protoplastorum quotidie admoneri, & ad humilitatem incitari maximè debebant, vestibus ad superbiam alendam utantur, iisque se efferant, non secus ac si quis maleficus compedes & catenas, quas sceleribus promeritus est, & ignominiæ loco gestat, magnifice ostentet, & valdè in illis sejactitet. Vide de his Gen. 3, 10. 21. Deut. 22, 5. 11. Levit. 19, 19. 1. Cor. 11, 4. 1. Timoth. 2, 9. 10. 1. Pet. 3, 3. 4. 5. & nota dictum gravissimum Siracidæ cap. 19, 27. Vestitus, risus & incessus produnt hominis ingenium, vel

Luxus in vestitu redarguitur

Incessu, risu, vesteq; notus homo est.
Namq; vero vestis magnum decus addit honesta,
Monstrosi monstrosa est animi indicium.

Et sæpissimè verum est de illis, qui ita exteros imitantur in vestitu,

Qualis vestris erit, talia corda gerit.

Proinde

Non cures juvenis multùm, qua veste tegaris,
In vestimentis non est sapientia mentis.

Inſpice etiam eos doctores, qui luxum in veſtitu damnant juxta ſcripturam in explicatione ſexti præcepti, quibus adde loca biblica, ubi omnis abuſus veſtium reprehenditur. Eſa. 3, 18. Ezech. 7, 20. Eſth. 14, 16. Matt. 11, 8. Marc. 12, 38. Luc. 16, 19. & 20, 45. Actor. 12, 21. vis uno verbo dicam quid ſit? Actor. 25, 23. appellatur πολλὴ φαντασία. Mulieres equidem quia vident multis donis ſapientiæ fortitudinis dexteritatis in rebus gerendis &c. à viris ſe ſuperari, alijs nugis compenſatum eunt illum defectum, in crinibus comendis, veſte & alijs ornamentis ſe nimium exornandis. Ferri hoc aliquo modo poteſt in vaſis infirmioribus, quia, qui eas regit, infirmum gerunt animum: ſed illud demum valdè turpe eſt, ſi vere dicatur,

præcipuè in viris.

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem,

quia concludere inde poſſunt ſapientes, tales luxui iſti deditos non habere aliud, quod ſit laudabile aut ſuſpiciendum, qvum in iſtis alienis ita ſe oſtentent plumis. Vos itaq; qui eſtis viri, viros vos præſtate, & tales in nimio ornatu deprehenſas mittite ineptias. Date hoc Deo mandanti, date toti ſexui virili flagitanti, date Chriſtianorum ſtatui poſcenti, date veſtræ exiſtimationi, date hoc prophetæ rectè monenti. Parcite curæ, parcite operæ, parcite pecuniæ, mundo ne vos conformetis, ſed ad imaginem Dei reformetis, Gallis Gallica, Italis Italica, Belgis Belgica &c. linquite, Germanam ſimplicitatem & ſeveritatem Germani ſervate, idq; ne in vos quadrent hæ minæ, in illos directæ, qui induuntur indumento alienigenarum: neq; in vos cadat illud poetæ:

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Eſ-

Ex versu 9.]

Animadvertam in omnem qui insilit in limen] Violentiæ publicæ administri unâ cum suis dominis graviter affliguntur, siquidem faciens & consentiens eadem pœna digni sunt, & ut habet nostrum proverbium, der Heeler ist so gutt als der steeler. Vide Pharaonis exercitum cum ipso submersum Exod. 14. impij ducis impium satellitium occisum 2.Reg.1. 9, 10. 11. 12. Sennacheribi copias deletas 2. Chron. 32, 21. *Ministri mali pereunt cum suis Dominis.*

Ex versu 10.]

Vox clamoris.] Quando vocem Dei amicè invitantis homines non audiunt, clamorem atrociter tonantis & punientis auribus tandem percipiunt. Psal. 2, 5. 8. 9. & huic nulla potest obstare munitio, siquidem nec impunita abijt munitissima Jerosolyma, qua de re Amos. 1, 4. Nahum 3, 12. *Vox irati Dei.*

Ex versu 11.]

Ejulatæ habitatores pilæ, excisus est mercaturam faciens] Quia mercatores sæpe multas fraudes & dolos adhibent, quæ Deus odit, Proverb. 20, 14. 15. 23. Sirac. 26, 37. & 27, 2. graviter tandem punit 1.Thes. 4, 6. quia πλεονεξία ne quidem nominari inter veros Christianos debet Ephes. 4, 3. Vide Amos 8, 5. 6. Mich. 6, 10. 11. 12. *Mercatorum fraudes Deo exosæ.*

Ex versu 6]

I. *Scrutabor Jerosolymam lucernis*] Deus qui prius lucernâ verbi sui accensa omnes ambulantes in tenebris sedulò inquirit Ioh, 12, 36. Mat, 4, 16. Luc. 15, 8. & venit illumina- *Lucerna Dei propitij.*

tum omnes Joh. 1, 3. 9. clamans, excitare qui dormis, & exsurge ex mortuis, ut tibi illucescat Christus Eph. 5, 14. cùm tenebræ lucem non comprehendunt Joh. 1, 5. 10 imò in luce oculos homines ipsi claudunt Matth. 13, 15. Act. 28, 27. accensa lucerna ex claustris peccatorum eos protrahit ad pœnam Ps. 56, 21. 22. potissimùm verò hoc futurum est, quum jam totus hic orbis exarserit 1. Cor. 4, 5. 2. Cor. 5. 10. 2. Thess. 1, 8. 2. Pet. 3, 7. 10. 12. quod cûm futurum sit, simus sancti 2. Pet. 3, 11. 14. & ambulemus jugiter coram Domino, ne opus sit, ut tum demum Deus nos quærat per angelos & ex latibulis producat Matth. 13, 41. 42.

In peccatis non est perseverandum. II. *Qui concreti sunt cum fæcibus.*] Peccare est humanum 1. Reg. 8, 46. Eccles. 7, 21. in peccatis pertinaciter perseverare, diabolicum 1. Joh. 3, 8. Dum itaque adhuc est dies gratiæ 2. Cor. 6, 2. dum vocem Dei audimus, ne obduremus corda nostra Hebr. 3, 7. 8. & 4, 3. quando Deus dicit, revertere aversa Israel. Jerem. 3, 12. 13. dicamus quisque, Ecce nos accedimus ad te ibid. v. 22. 23. cum filio perdito, revertar ad patrem meum, & dicam illi, pater peccavi. Luc. 15, 18. 19.

Providentia Dei negatur à malis. III. *Dicentes cum animo suo, non benefacit Jehova.*] Dixit insipiens in corde suo, non est Deus Psal. 14. 1. & 53, 1. & 73, 11. & 10, 4. 11. Job. 22, 12. Esa. 29, 15. Plin. lib. 2. nat. hist. c. 7. quod carnis judicium exponitur Eccles. 9, 4. 5.

Ex versu 13.]

Erunt facultates direptioni.

Malè parta.

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres,
Et dilabuntur, quæ malè parta, malè.

Vide

Vide Amos 8, 4. 5. 6. 7. 8. Obad. v. 5. 6. 11. Mich. 2, 2. 3. & 3, 3. 4. & 6, 10, 11, 12. 13, 14. 15. Nahum. 3, 1. 2, infrà v. 18.

Ex versu 14. 15. 16.]

Propinqua est dies Jehovæ, clamabit amarè robustus] Qui loci hinc erui possint, indicatum est Joel, 2, 1. 2. 3. 7. 8. 9. Amos 5, 17. 19. 20. summa est, quod manum Dei irati effugere nemo queat. Vide Amos 9, 1. 2. 3. 4 & quod indignatio Dei incumbat super peccatores pertinaces, quod satis benè explicat Siracides c. 5, v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. si autem dies aliqua iræ Dei tam est horribilis, quantò terribilior erit dies ille magnus judicij extremi? vide suprà v. 1. L. C. 1. nam finis improborum, quantumvis ad tempus felicium, est exscindi Ps. 37, 1. 37. 38.

Dies Jehovæ terribilis.

Ex versu 17.]

Angustiis officiam, ut ambulent tanquam cæci.] Dei est consilium, Dei est prudentia & robur Prov. 8, 14 & si cui hic suâ gratia non adest, sæpe etiam in rebus liquidis aqua hæret, quandoquidem juxta minas legis Deut. 28, 28. 29. percussit eum Jehova amentiâ & cæcitate ac stupore cordis, adeo ut palpet in meridie, sicut palpat cæcus in caligine, neq; prosperatur vijs suis, ut meritò dicat, dum expecto lucem, ecce tenebræ, palpo velut cæcus parietem, velut defectus oculis palpo, offendo ipso meridie, tanquam intempesta nocte Esa. 59, 9. 10. 12. Verissimum enim illud est:

Cæcitate Deus percutit.

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; juvetq; Deus.

Ex versu 18.

I. *Argentum & aurum non poterit eripere eos die furoris*]

Non confidendum divitijs. *roris*] Ne innitaris pecunijs injustè partis, nam nihil adjuturæ sunt, quo die ultio adducetur Sir. 5, 10. malè igitur sibi consulunt, qui confidunt in opulentia sua, & in multitudine divitiarum gloriantur Psal. 49, 7. 8. 17. 18. 19. & 52, 9. Non enim prosunt thesauri improbitatis Prov. 10, 2.

Dei ira est ignis: II. *Igne zeli eius*] Deus iratus est ignis consumens Deut. 4, 24. Amos 1, 4. Heb. 12, 29. Nahm. 1, 5. 6. 10. Joel. 2, 3. 5. & 1, 19. Amos. 5, 6.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum.

Summa. EXhotatur propheta Judæos ad pœnitentiam, seriamq; prioris vitæ mutationem ac resipiscentiam, ne in prædicta superiori capite supplicia incidant, sed ea vitæ emendatione evitent eandemq; exhortationem sæpe repetit, quò & pij citiùs majoriq; cum studio ad frugem redeant, obstinati verò reddantur magis inexcusabiles. Deinde vicinarum gentium, Philistæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, Assyriorum ac Ninevitarum prædicit excidium, quippe quæ Judæis semper fuerunt infensæ, & de malo illorum lætatæ. Deniq; spem facit ijsdem gentibus, quod relictâ idololatria regni Christi futuri sint per Evangelium consortes, ut ita Deus verus non tantùm in Judæa & Jerosolymis deinceps, sed in omni loco adoretur & colatur.

Analysis popularis. Unde facile colligere est, si quis populari ratione hoc caput cupiat dividere, quod eius partes sunt tres. I. ad pœnitentiam instituta exhortatio. II. de pœnis vicinarum gentium comminatio. III. earundemq; ad regnum Christi

vocatio. Paulò accuratiùs singula membra evolvemus in hac ἀναλύσει. Partes capitis sunt duæ: In unâ propheta duo Judæorum genera ad bonam frugem revocat, quorum prius est torpentium & omni sanctimoniæ studio vacuorum v. 1. & 2. posterius, illorum, in quibus nonnullæ pietatis & humanitatis emicabant scintillulæ v. 3. illud à cursu pietatis aberrans revocat, hoc in eodem cursu provocat, illud excitat, hoc incitat illic pœnitentia ingredientium & relapsorum, hic stantium urgetur. In altera parte argumentum revocationis prius (nam posterius sequentis capitis versibus prioribus exponitur) explicat, quod desumptum est ab exemplis formidabilibus judiciorum, quæ Deus contra gentes exteras erat facturus, Judæis adhuc superstitibus, ut, quum hæc viderent, etiam judicium sibi denunciatum timerent. Recensentur autem hoc ordine, primum *Philistæi*, quorum regio occupata est à Necone rege Ægypti v. 4. 5. 6. 7. confer Jerem. 47, 1. & Amos 1, 6. 7. 8. secundò *Moabitæ & Hamonitæ* v. 8, 9. 10. 11. qui sunt à Chaldæorum rege subjugati Esa. 15, 6. 7. Jer. 48, 1. 2. & 49, 1. 2. Amos. 1, 13. 14. 15. & 2, 1. 2. 3. tertiò *Æthiopes* v. 12. qui unà cum Ægyptijs â Nebucadnetzare cæsi sunt Jer. 46, 2. Esa. 18, 1. 2. deniq; *Assyrij & Ninevitæ* v. 13. Jerem. 49, 34. Nahum. 1. 13. 14. 15. Totius itaq; capitis summa includi potest huic Enthymemati: puniuntur gentes vicinæ ob sua flagitia E. & Vos, nisi pœnitentiam egeritis. Illud per inductionem; hoc per adhortationem proponit propheta. Quod ad illud, de singulis gentibus hæc peculiariter notanda sunt. I. Philistæorum quatuor satrapiæ v. 4. & totus tractus maritimus ex decreto Dei perdentur, & planè vastabuntur v. 5. idq; à consequente declaratur duplici, priori corporali malo,

plenior
Partes duæ
I.
II.

malo, quando urbes vastatæ dicuntur futuræ caulæ ovium v. 6. posteriori spirituali, quod per accidens ex isto malo Deus elicit, ut scilicet quædam reliquiæ convertantur ad Ecclesiam v. 7. II. Moabitarum prius exaggeratur culpa, videlicet ignominia, quâ affecerunt populum Dei v. 8. & fastus v. 10. deinde explicatur pœna, comparatione exornata vers. 9. & Dei misericordiâ temperata, quatenus nonnulli ex illis erunt convertendi ab idolis ad Deum verum v. 11. III. Aethiopum casus simpliciter prædicitur v. 12. IV. Assyriorum ac Ninevitarum divinitus immissa desolatio prænunciatur v. 13. à consequentibus horrendis v. 14. & adjunctâ piorum insultatione & irrisione declaratur v. 15.

PARS PRIOR.

Deus prædicit mala.

Vers. 1.] Quia propheta c. 1. Pœnas prædixerat, nunc ad pœnitentiam exsuscitat, per quam licet omnes calamitates & exilium jam decretum omninò avertere atque evitare non possent, tamen significat, fore ut conversis pœnæ relaxentur, & afflictiones mitigentur, in quam sententiam satis benè hoc loco Hieronymus. Cerne Dei clementiam, suffecerat prudentibus malorum venientium impetum descripsisse, verum quia non vult inferre supplicia, sed tantùm terrere passuros, ipse ad pœnitentiam vocat, ne faciat, quod minatus est, id quod iterum contra absolutum Dei de quibusdam hominibus perdendis decretum à Calvinianis propugnatum, argumentum nobis suppeditat & præcipuè hic contra Danæum, dum expressè in hunc locum scribit: quos Deus objurgat, nisi per eos ipsos stet, servare vult. Jam v. de Caino, Juda, alijsque obstinatis subsume, & facilè proprio eum jugulabis gladio Ita autem incipit Sophonias:

Ex

Excutite vos, inquirite prius privatim in vos ipsos (quod notat verbum hebræum in conjugatione reciprocâ Hithpaël) vestrosq; mores pravos, 1.Corinth.11, 31. *iterumq; excutite*, deinde etiam in alios inquirite (quod innuit verbum Hebræum in Cal) quum in vos descenderitis, & ut tantò meliùs alter alterum de suis peccatis commonefacere & ad frugem revocare posſit, publicè convenite, Deiq; gratiam conjunctis votis implorate, quod vulgatus latinus interpres & D. Lutherus expreſsit, Samlet euch vnd kommet her / ut testantur exempla aliorum sanctorum, quando pœna imminens eis est prædicta Joel. 1, 13. 14. Ion.3. 5. 7. 8. idem nunc opus est cum maximè, non ut unus & item alter accedat, & suæ vitæ examen instituat, sed tu congregeris, ô tota gens, *non affecta*, sed vacua prorsus, (quomodo negatione iterum vehemens contraria affirmatio indicatur, ut suprà 1, 6.) *desiderio* redeundi scilicet ad frugem & in suos mores inquirendi, quæ desiderio sancto non teneris, neq; regnum Dei affectas, ad quod omnes aspirare meritò decet, quomodo verba hebræa לֹא נִכְסָף intransitivè accipiuntur, ut Gen. 31, 30. Psal. 84, 3. pro eo, qui non desiderat. Alij verò interpretes multi, inter quos etiam est Lutherus noster, paſsivè vertunt, gens non amabilis, Ihr Feindseliges Volck / quæ meritò â Deo non amaris aut desideraris, ob illum tuum torporem, quo ad ipsum te convertere cessas, quomodo metalepticè reddi posse puto. sed non est hîc prætereunda verbi hebræi præcedentis קֹשֶׁשׁ ἐμφασις. propriè enim idem est quod καλαμᾶσθαι i, e. stipulas colligere, spicilegium facere, quia קַשׁ notat stipulam Ioel. 2. 5. Obadj. v. 18. Nah. 1, 10. sed quia illæ res rariores & minutæ magno indigent scrutinio, metaphoricè significat seriò & accuratè

Excutite vos.

לֹא נִכְסָף

קֹשֶׁשׁ

inquirere, & velut periculosa quadam curâ examinare. Exod. 5, 7. 12. Num 15, 32. 33. 1. Reg. 17, 10. 12.

Vers. 2.] Quæ autem est ratio, cur sit adeò exactè & citò agenda pœnitentia? Respondet, quia pœna imminet, quam hîc describit, priùs comparatè, deinde simpliciter. Agite, vos ipsos excutite, & in vos inquirite, quum nondum ille dies advenit, quo à Deo ipso excutiamini ac ventilemini, sicut gluma solet excuti & à frumento separari Mat. 3, 12. in quare declarandâ utitur verborum repetitione & exaggeratione, non quidem ociosâ, sed ut demonstret, adhuc dum tempestivum esse, agere pœnitentiam, & mox futurum, ut occasio illa elabatur è manibus, nisi fronte capillata firmiter apprehendatur. Parate igitur vos in occursum Domini, *quum nondum parit* seu in lucem edit & exequitur *decretum* seu statutum, quod pœnis velut prægnans Deus fecit, easq́ jam parturit. Ut enim partus non statim sequitur conceptionem, sed tempus habet maturescendi legitium ac naturæ legibus definitum: ita Deus, etsi certò punire jam decrevit, & sententiam tulit, ac statutum mente concepit, aliquandiu tamen adhuc executionem differt, ut det adhuc locum pœnitentiæ, quam si improbi omnino nolunt agere, jam maturescit iniquitas apud homines & pœna apud Deum. Et quemadmodum partus necessariò sequitur, quando tempus à natura præfinitum effluxit, sic inevitabile est Dei judicium, quum tempus predeterminatum est elapsum. Vide & expende Gen. 15, 16. Jer. 18, 7. 8. Joel 3, 13. Mich. 4, 10. & 5, 3. Deus itaq́ nunc magnam iram concepit in animo, vestris flagitijs offensus, videteq́ ne enitatur citò, quod diu in suo statuit consilio, occurite venienti, quum nondum *ut gluma transit*, & vos, ut gluma, transire facit seu à suo puro tritico, hoc est pijs removet, *illa dies Jehovæ*, quem:

Repetit eadem.

Deus parit decretum.

Ut gluma

quem dicebam esse propinquum sub. c. 1, 14. 15. quum non-dũ celerrimè irruit, ut palea à vento fertur rapidissimè, *quum nondum*, inquã, *venit super vos*, invadit vos & superincumbit sarcina magna mali, hoc est, *æstus iræ Iehovæ*. vehemens ira nulli parcens sup. c. 1, 15. 16. 17. & idem iterum repeto, *quum nondum invadit vos dies iræ Iehovæ*. Hujus autem versus non verba, sed sensum expressit Lutherus, quum eum ita interpretatur, ehe den das Urtheil auß gehe / das jhr wie sprew bey Tage dahin fahret etc. & celerrimum exitium ex decreto Dei improbos manere asserit.

Vers. 3.] Sed dicant probi, quomodo nos illud judicium horrendum evitabimus; ita inquit propheta, *quærite Iehovam* sup. c. 1, 6. quæ est phrasis συνεκδοχικὴ complectens omnes pœnitentiæ partes, ex lege peccata agnoscite ex Evangelio corda erigite, impœnitentia à Deo discessistis, cum neglexistis ac perdidistis, pœnitentia iterum querite eum qui licet adsit omnibus, tamen non ab omnibus adesse intelligitur sup. 1, 7. hoc vos signis externis declarate, & in verbo autorem verbi inquirite, eumq́ recte juxta illud colite etiam *vos omnes mansueti*, humiles, mites, & non, ut reliqui, improbi, pertinaces, obstinati ac superbi, quotquot estis in *hac terra* Judæa, mox per Chaldæos occupanda, ubi inter multos malos vos estis pauci boni, non quidem perfecte, sed comparatè, quam ob causam & ipsi pœnitentiam agere necesse habetis, sicut & illi, *qui jus ejus* (Dei) *operantur*, id quod personarum enallage indicat, quam D. Lutherus non servavit, die jhr seine rechte haben quum parum intersit, quandoquidem eosdem probos alloquitur, qui judicium faciebant, de qua phrasi vide plura Mich. 6. 8 *quærite iustitiam* tum Dei in promissionibus factam de remissione peccatorum

Quærere Jehovam,

Et justitiam,

torum seu imputatam ac perfectam per Christum, tum imperfectam ac inhærentem vestram apud homines, justosq; vos declarate, neq; vero semper jus strictum persequimini, sed *quærite mansuetudinem* cum apud Deum, ut is tamen vobiscum non intret in judicium, neq; ad vestram justitiam respiciat, sed tantùm secundum misericordiam suam vobiscum agat, & quando illa omnia quæ dixi, & reliqua, quæ sunt in lege præscripta, pro eo quantum potestis, in hac infirmitate feceritis, dicite nihilominus, servi sumus inutiles, fecimus quod debuimus; tum apud homines, ut, quando vos apud Deum obtinuistis gratiam & hanc proximo facere in condonandis quibusdam nævis ne obliviscamini, ita estote mansueti, humiles ac mites. confer. Mich. 6, 8. quod si feceritis sine dubio futurum est, ut peccatorum vestrorum remissionem habeatis, *fortasse* etiam planê ex periculis imminentibus liberabimini: quòd tamen certò promittere non habeo, cum Deus absolutè id non sit pollicitus. Cum enim nemo norit illas mirabiles Dei in mundo gubernando vias, & tamen benè sit sperandum in rebus quoq; corporalibus, fortasse vos pij *abscondemini*, in calamitatibus à Deo protegemini, ne ad vos pertingat, aut vos quoq; planè deijciat malum Ps. 27, 5. & 32, 6. 7. & mitius tractabimini quàm reliqui, qui sub umbra alarum ipsius non latent, quum fide ad ipsum non confugerint tempore gratiæ, sed nunc perdantur *die iræ Jehovæ*. Ità enim illam dubitandi particulam hoc loco, ubi non agit propheta de remissione peccatorum, sed de sublatione pœnæ corporalis post resipiscentiam, sine ulla absurditate possumus accipere: unde tamen nequaquam sequitur, in reliquis omnibus locis, præsertim ubi agitur de Dei gratia pœnitentibus & fide ad eum accedentibus simpliciter

& mansuetudinẽ.

Dubitandi particula respicit pœnam h. l.

non semper.

citer promissa, eam etiam hoc modo esse accipiendam, quia verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam scripturæq́ analogiam, & quod bona spiritualia simpliciter, corporalia verò conditionaliter sint quærẽda & expectanda, qua de re dictum est prolixius Joel. 2, 14. Amos, 5, 15. & sub finem disputationis de certitudine gratiæ erga nos divinæ. Lutherus verò & alij nonnulli etiam hoc in loco assertive eam particulam vertunt, quia ad Dei gratiam respiciunt, & aliquam pœnarum mitigationem, quæ certa est, sicut in locis allegatis declaratum est.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1]

I. *Excutite vos*] Quia quotidie peccamus multùm Jac. 3, 2. etiam quotidie remissione peccatorum indigemus Confer. Mat. 18, 21. Luc. 17, 4. & proinde doctrina de seriò agenda pœnitentia semper est inculcanda Esa. 58, 1. 2. Illud olim fuit indicatum in lege, quando fuit præceptum, ut quotidie duo agni integri Deo offerrentur in holocaustum Num. 28, 3. à sacerdote pro suis & populi peccatis Heb. 7, 27. ad designandum agnum Dei tollentem peccata mundi Joh. 1, 29. & sapientia Dei æterna educat quotidie Ecclesiam, Prov. 8, 30. beatusq́ est qui insistit foribus ejus quotidie ibid. v. 34. Christus docebat quotidie Luc. 19, 47. & potissimum illud urgebat, unde prædicare incipiebat, Agite pœnitentiam Mat. 4, 17. sicut & Johannes idem suæ prædicationis fecit initium Mat. 3, 2. Marc. 1, 4. Confer. Esa. 52, 11. 12. Luc. 24, 46. 47. Actor. 20, 21. & 26, 20. sic igitur quotidie intonet verbi divini minister, ne differas te ad Dominum convertere, neq́ procrastines de die in diem Sirac. 5, 8. 9.

Peccatorum remissione semper opus habemus.

ad quam invitamur,

Quando hodie primùm vocem dant verba Jehovæ,
Ne miser obdures ostia cordis homo.
Nec dicas, cras, cras; hodie accelerare memento,
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Psal. 95, 7. Hebr. 3, 7. 15. & 4, 7.

Deus monet etiam perdendos

II. *Iterum excutite gens vacua desiderio*] Considerandа est hìc magna Dei misericordia, qui cum nolit ullum perire, sed omnes ad pænitentiam pervenire 2. Pet 3, 9. 1. Tim 2, 4 etiam illos monendos curat, qui se averterunt, ut revertantur Jer. 3, 6. & 31, 21. 22. quos tamen ipse ex justitia pridem perdere poterat Hos. 11, 8. 9. Es. 1, 9. Nos verò nequidem salutem nostram oblatam nobis desideramus aut appetimus Matt. 23, 37. Esa. 53, 5. Deus quærit nos Luc. 15, 4 8. & nos non quærimus illum sup. c. 1, 6. rogemus igitur cum Davide ex Psal. 119, 176. Erro ut ovis quæ perit, require servum tuum Domine.

Ex versu 2.]

Spacium ad pænitentiam.

I. *Quum nondum parit decretum*] Deus satis longum hominibus ad pœnitentiam concedit spatium 2. Pet. 3, 9. expandit suas manus tota die Es. 65, 2. Rom. 10, 30. in plateis edit vocem suam & vocat Prov. 1, 20. 21. 22. 23. sicut multæ apud Evangelistas propositæ declarant parabolæ de nuptijs, convivio magno &c. Matt. 22. Luc. 14. Quando autem invitati venire plane renuunt, tandem eos Deus punit graviter Prov 1, 24 25. 26. Matt. 11, 16. 17. 20.

Justitia Dei.

II. *Quum nondum invadit æstus iræ*] Deus seriò peccatis irascitur, quia hoc requirit ejus justitia in lege declarata Exod. 20, 5. quæ est Deo naturalis, ut aliàs in descriptione Dei probari solet pluribus. Nunc saltem vide hæc dicta Psalm. 9. 5. & 50, 6. & 98, 9. 119, 7. 137. Sap. 12, 13.

Rom,

Rom 1, 32. & 3, 5. 2. Thess. 1, 6. & scies, vanissimam esse, scripturæque contrariam illam Socini assertionem libr. de servatore pag. 7. 8. Justitiam non esse Deo naturalem, sed liberum & contingentem effectum, & posse eum absque satisfactione seu pœnâ, peccata condonare, quibus vult. Dixit enim se puniturum morte æterna, vel in ipsis peccantibus ut in diabolis & hominibus incredulis: vel in mediatore Christo, qui satisfaceret pro omnibus sufficienter, efficaciter verò pro credentibus, & proinde se abnegare Deus non potest.

Ex versu 3.

1 *Quærite Jehovam, quærite mansuetudinem*] Per peccata à Deo separamur Es. 59, 2. velut pariete interiecto Ezech. 43, 8. & ab eo deficimus Actor. 20, 30. 1. Timoth. 4, 1. per pænitentiam verò cum eo denuò conjungimur Jer. 3, 9 Hos. 2, 16. 19. per peccatum Deum, hoc est, ejus gratiam perdimus 2. Cor. 6, 1. Heb. 3, 14. per pœnitentiam autem rursus inquirimus Es. 55, 6. Apoc. 3. 3. Quod si Dominum infidelitate amisisti, fide iterum eum inquire, quia ita quærens inveniet Matt. 7, 7. Dices, quomodo verò ad nostrum textum quadrat, ubi agitur de conversis & renatis, hæc doctrina de convertendis & non renatis; sciendum, quod licet regeneratio sit perfecta, tamen renati seu sancti in hac vita quotidie opus habeant pro remissione peccatorum orare Psal 32. 6. Matt. 6, 12. quia quotidie per illa offendunt Deum, & sæpe ab eo cum filio perdito abeunt in regionem longe dissitam, quatenus non sanctè vivunt Luc. 15, 13. & proinde ut revertantur, necesse habent Luc. 1, 16. 15, 18. 20. & 22, 23. Act. 3, 19. & 26, 20. quomodo alia pœnitentia est ingredientium, alia stantium, alia relapsorum.

Pœnitentia.

II. *For-*

Pœnarum mitigatio. *II. Fortasse abscondemini.*] Pænitentiâ verâ pœnæ mitigantur. vide Joel. 2,14. Levit 26, 40. 43. 44. Deut. 30, 1. 3. 4. 9. 1. Reg. 8. 30. quæ impœnitentiâ exasperantur Levit. 26. Deut. 28. si verò justus vix servatur, improbus & peccator ubi apparebit? 1. Pet. 4. 18.

PARS POSTERIOR.

Vers. 4.] Hactenus Judæos hortatus est Sophonias ad pænitentiam agendam de peccatis admissis, ne sentiant decretam pœnam: quod ut magis eorum animos afficiat *Exempla gentium puniendarum.* varijs exemplis finitimarum gentium eos terrefacit, ut ex eorum periculo impœnitentes discant sapere, & videant, sibi quid exusu sit, quum judicia Dei sint adeo gravia & inevitabilia: pœnitentes verò hinc solatium aliquod habeant, cum cernant suos hostes perdi, se salvari, credant Deum istis iratum, sibi autem placatum esse. Et quia potentes *Philistæorum 4. satrapiæ.* erant maximè vicini ac populo Dei infensi Philistæi, ab his facit initium, & non tantùm quatuor præcipuas eorum satrapias & urbes munitissimas recenset (Gath verò, quæ erat quondam quinta, cur omittatur, vide Amos. 1, 6. 8. Mich. 1, 10.) sed omnem omninò regionem denotat, & in pæna, ut tantò melius omnia observentur ac memoriæ mandentur, elegantes in textu hebræo *παρονομασίας* & allusiones ad *Παρονομασίαι.* nomina propria habet, quæ hîc in textu & declaratio hujus rei uberior ad Mich. 1, 10. videri potest. Nam *Gaza*, *1. in Gaza* quæ à potentia nomen habet, potenter debellabitur & evertetur, adò ut *sit postea derelicta*, עַזָּה עֲזוּבָה תִהְיֶה & *2. Askalon* dicatur deserta Actor. 8, 26. & *Askalon erit* ita *desolationi*, ut sit, quod nomen cluit, ignis seu flammæ ignominia, אַשְׁקְלוֹן

אַשְׁקְלוֹן q. d. אֵשׁ קָלוֹן, & *Aschdodum*, vulgò Azotum, in *Askalon*
ipso meridie, quando sol maximè fervet, seu, ut veteres 3.
dicebant, assus est, & in illis calidioribus locis est tempus iter *Aschdod.*
faciendi incommodissimum, clarâ luce & vi apertâ, in
captivitatem *depellent*, postquam & ipsa, ut nomen habet,
אַשְׁדּוֹד quasi אֵשׁ שָׁדַד, ab igne vastata & clade affecta est
(horum enim duorum nominum intermediorum allusio ex
ἐτύμῳ forte quod cuivis poterat esse obvia, & facile ex analogia subintelligi poterat, omissa est) & *Hekron*, ut nomi- 4. *Hekron*
nis omen habet, *exstirpabitur*, עֶקְרוֹן תֵּעָקֵר quemadmodum alias fuit prædictum Amos 1, 6. 7. 8. & eventus comprobavit, de quo Jerem. 47, 4. 5. 6. 7.

Vers. 5.] Ne verò quosdam ex Philistæis exemisse videretur phropheta, cum tantùm quatuor civitates nominasset, nunc porrò toti genti judicium gravissimum denuntiat, in quo pœnæ magnitudo indicatur interjectione *Væ*, certitudo autem declaratur, quia est Verbum Iehovæ *Væ habitatoribus tractus maritimi*, hebr. חֶבֶל הַיָּם funiculo maris illius magni sive occidentalis, ad quod palæstina erat sita; quia funiculus per metalepsin in scriptura pro tractu agri *Funiculus*
aut regionis sæpe sumitur, eò quod veteres in divisione agrorum & regionum utebantur funiculis. Vide Amos 7, 17. Deut. 32, 9. Psal. 16, 6. *Væ* toti *genti Cerethæorum*, hoc *Cerethai.*
est per synecdochen, omnium philistæorum, quorum bellatores optimi à Rad. כָּרַת i. e. exscidit, nomen habebant, unde Lutherus vertit appellativè, sed cum ἐμφάσει den Kriegern / nempe qui hactenus alios perdiderunt, perdentur, qui afflixerunt, affligentur. Quod autem fuerint illi homines strenui vel inde patet, quod inter stipatores Davidis, fortissimi heroris, regios numerentur 2, Sam. 9, 4. & 15, 18.

1. Chron 18, 17. Quod verò inter Philistæos peculiaris quidam tractus ad meridiem situs peculiariter Cerethæorum sic dictorum fuerit, Patet ex 1. Sam. 30. 14. 16. Ezech. 25, 16. Cum Luthero veteres pleriq; interpretes proprium appellativè verterunt, eò quod hîc omnes Philistæi intelligantur. vetus latinus interpres gens perditorum qui perderent alios & ipsi perdenti. Aquila & 5. editio, γένος ὀλέθριον: Theodotio, γένος ὀλεθρίας: Symmachus, γένος ὀλεθρευόμενον, LXX. malè pro גּוֹי, גֵּר legerunt, & pro Cerethæis Cretenses substituerunt, ita vertentes, πάροικοι κρητῶν advenæ Cretensium, quod planè hîc locum non habet. Quid autem hisce denunciat Sophonias; hoc silicet: *Verbum* non

Desolatio denunciatur.

meum, sed *Jehovæ super* & contra *vos* (עַל Amos 1, 1.) est, Deus castigabit quidem suum populum, de cujus clade vos lætamini, ac in sinu gaudetis, verum non ibi pedem sistet, inde ad vos etiam perget, quia hæc sunt ejus verba: Audi *Cananæa terra*, hoc est illa pars Cananææ, quam injustè Philistæi detinent, & quæ ex promissione Dei ad populum Israeliticum pertinebat. Vide Gen. 10, 14. 19. Ios 13, 3. Amos 9, 7. hæc loquor ipse Jehova, qui mentiri nequeo, *me ita perditurum esse te, ut nullus amplius sit habitator*, qui fixam sedem ibi constituat, id quod vis verbi hebræi יֹשֵׁבִי innuit, in tua terra, quæ antea erat populosissima.

Vers. 6.] Nam me procurante, justo meo judicio futurum est, ut tota illa palæstina ora maritima, quæ nunc portubus & mercatorum frequentio est celebris ac clara, urbium atq; arcium munitionibus firma, palatiorum structuris magnifica, hortorum apparatu amoenissima, quaq; his ipsis reliquas regiones multùm superat, its vastetur, ut

Palestinæ nobilitas.

sit

Et prorsus deserta, quoniam erit paulò post *tractus ille maritimus pro caulis*, si qui illic reperientur homines, erunt tantùm Pastores vagi, qui ad tempus tuguriola, septa, aliaq; arma pastoritia ad pecus pascendum necessaria secum circumferunt & quæ concameratæ specus subterraneæ antea erant mercium preciosarum & aromatum exodicorum apothecæ frequentatæ ac celebres, postea erunt *pro fossuris pastorum, & septis gregum*, in quibus illi commorentur, & hi cogantur, propter nimium solis æstum, & circa illas speluncas subterraneas effodient ipsi pastores cisternas ad aquandum & abluendum gregem in locis illis arentibus.

vastatio.

Vers. 7.] Et hæc est pœna Philistæis inferenda, eo nomine tam accuratè & graphicè depicta, in improbi in populo Iudaico hinc suæ futuræ calamitatis capiant gustum? pij verò solatium inde percipiant hoc ipsum, sublatis nostris hostibus, Deus nobis pacem & felicitatem restituet. Hanc ob causam nunc porrô digressio quædam instituitur ad Ecclesiæ consolationem, in quâ declaratur, qualis eam maneat spiritualis amplitudo & securitas, Deiq; in illam benignitas per Christùm salvatorem, in quo velut oriente ex alto visitabit eam Dominus Luc. 1, 78. Sic enim quod typicè dictum est, de antitypo & spiritualiter est intelligendum de regno Christi, ut dictum est Amos 9, 11. 12. Obadj. v. 18. 19. 20. Nam olim in N. T. *erit tractus* ille Philistæorum maritimus *pro residuo domus Judæ*, veniet in potestatem eorum, quando adjungetur per prædicationem Evangelij Ecclesiæ, & ad eam deinceps pertinebit, ut Iudæi ex captivitate superstites ac liberati, hoc est, homines ex regno satanæ redemti *apud eos securè pascant in domibus Askelonis*, quum antea illos securi illuserint, Evangelium illis proponant, quod

Consolatio Ecclesiæ.

 scriptura

Pascere. scriptura dicit pascere Joh. 10, passim & 21, 15. 16. 17, sicut eventus comprobavit, quando Gaza, Azotus, & vicina loca ab Apostolis leguntur conversa Act. 8, 26. 40. & 9, 32. 35. 36. Et hæc securitas in Christo erit tanta, ut *vespere*, quando alios homines in agris degentes terror ocupat, ipsi tutò quiescant, in utramvis aurem & more animalium quadrupedum planè *accubent* & securè conquiescant, id quod verbum hebræum רָבַץ Psal. 23, 2. infra v. 14, 15. & 3, 13. suavi importat. Confer Gen. 4, 7. & 29, 2. & 49, 9. Esa 11, 6. 7. & 15, 3. & 17, 2. Jerem. 33, 12. Ezech. 19, 2. & 35, 14. & cognatam Radicem רָבַע considera: Videbis, id propriè notari, quando quadrupes planè sine omni metu procumbit in terrâ, also das es alle vier fein sicher von sich streckt. Dicat quispiam quomodo Judæi possidebunt Philistæorum regionem, seu, ut vulgô dicitur, Palæstinam, quum sint adducendi in captivitatem Babylonicam; Respondet propheta per anticipationem, Dominus reducet eos ex captivitate illa, & præstabit hæc, quæ jam dixi, *quando reviserit eos Jehova Deus ipsorum*, quum gratiosè visitaverit afflictos, curamque illorum se genere demonstraverit, ut verbum hoc cùm alias sæpe, tum Psal 8, 5. (ubi explicatur duplex Dei visitatio) accipitur, *reducendo captivam turbam ipsorum*, quando jam Christus passus, mortuus atque ex mortuis resuscitatus in cælos captivuam duxerit captivitatem Col. 2, 14. 15. Eph. 4, 8. Et tantùm de primâ gente ex justitia Dei maximam partem perdenda, ex quà tamen paucæ erunt servandæ reliquiæ.

רָבַץ

Q.
R.
Judæi reducentur.

Moabitæ & Hammonitæ conjunguntur.

Vers. 8.] Sequitur de secunda, quæ tamen in duos populos dispescitur, videlicet Moabitas ac Hammonitas, qui conjunguntur, tum quia erant eorum autores fratres, tum

quia

quia eadem rapie contra Dei grassabantur populum; cumque dictis & factis læserunt sæpius (inspice quæ Amos 1,13, & 2,1. dicta sunt) De illis autem ipse Jehova ita intonat: existimãt illi quidem falsò, ignorare me, quæ ipsi fecerint: ne putent meam longanimitatem plenariam inducere oblivinionem, adhuc memoriâ tenio omnia, ut suo ulciscar tempore, *audivi* & novi *opprobrium Moabi & convitia filiorum Ammonis*, qui quia sunt ex Lotho ejusque filiabus, cognatione Abrahamo propinquis, nati, vel ex sola originis memoria cognoscere poterant, se sangvinis necessitudine cum Judæis esse conjunctos, & non tantùm ratione regionis vicinos, & proinde ab injurijs his inferendis abstinere meritò debebant, quod tamen cum non fecerint, sed præter omne jus ac fas *magnis probris meum populum affecerunt*, quando contra eos militabant & Judæam vastabant, *& magna locuti sunt contra terminum ipsorum* de finibus illorum occupandis contumeliosè se jactitantes, & superbè ac cum irrisione dixerunt, facilè nos illos terminos occupabimus, atque ita, ut nunquam ad suos dominos redeant. Et hac ratione facilè inter se conciliabis interpretes, quorum nonnulli verbum hebræum הִגְדִּיל absolutè positum accipiunt, quasi significet, magna loqui, magnificè se in verbis efferre, Lutherus, vnd auff desselbigen Grentzen sich gerühmet haben/quomodo usurpatur Psal. 35,26. & 38,17. Obadj v. 12. & præcedentia hîc ita quoque intelligendum esse indicant, quippe ubi agitur de probris: alij verò ita vertunt, ampliaverunt suam ditionem & regionem per terminum illorum, videlicet Judæorum, quasi de illa re fieret sermo, quando illi partem Judææ suæ ditioni adjecerunt, in terrã Israelis irruentes, eamque occupantes, sicut exponitur Jerem. c. 48. & 49.

Eorum conjunctio cum populo Dei.

הִגְדִּיל *magnificè locutus est.*

Vers. 9.] Quia illa, inquam, in se admiserunt flagitia, *idcirco, ut vivo ego, dictum Iehovæ Domini exercituum* Dei Israelis, quam vero vivo, tam verum est, quod dico, non ero ociosus horum spectator, sed quia sum Iehova Deus exercituum, facile possum, quia sum Deus & Pater Israelitarum, quibus promisi, libenter volo hanc meo populo illatam ulcisci atrocem injuriam satis atrociter: *Moab tanquam sodoma erit*, puta aliquomodo, quo ad tempus, quo inculta ac deserta permanebit, non quod ad modum vastationis (sicut & Amos 4, 11. diximus) *& filij Ammon ut Gomora*, quæ certe magna est vastatio, cujus effectus erit, quod illa regio sit futura *locus derelictus urticæ & fodinæ salis*, prorsus sterilis, ubi nil crescit Iud. 9, 45. Psal. 107, 34. Plin. lib. 31. natur. histor. c. 7. *ac desolationis locus usq; in seculum*, hoc est, tempus valde longinquum, non æternum. Non enim perpetuum fuerunt hæ regiones desolatæ, sed diu, nec citò pristinam recuperavere potentiam qua de re aliquid dictum est Commentar. in Ioel. c. 2, 19. Amos, 5, 2. sed etiam hîc Deus non omnem prorsus auferet misericordiam, verum his quoq; gratiam aliquam faciet, quando eos ad Ecclesiam advocabit, quomodo iterum, ut sup. v. 7, quod de typo dicitur, de antitypo est intelligendum. Et quum dicit Dominus figuratè, *reliquiæ populi mei diripient eos, & reliquum gentes meæ possidebunt eos*, idem est ac si dicat simpliciter, quidam ex Moabitis & Ammonitis olim obedient Evangelio, et in Ecclesiæ recipientur gremium, ut ita illis quoq; in bonum cedat hæc calamitas maxima, quæ inferenda dicitur omnibus.

Moab ut Sodoma.

Ammon ut Gomorra.

Deus his gratiam faciat.

Vers. 10.] Et ne Deus injustè cum illis agere videatur, quando agit ita severe, à Propheta denuo culpa & pœna,

inju-

injuria & vindicta, quasi in bilance, illa v. 10. hæc v. 11. appenditur. Quod enim omnia ista mala & desolatio illis accidat, in causa est fastus ipsorum, quem ostenderunt contra populum Iudaicum, cum in calamitate esset & malis à Deo premeretur, proinde hoc, quod dixi versu superiori nono *erit eis*, non ex absoluto aliquo Dei decreto aut odio, quo cupiat eos perditum, sed *pro fastu eorum, quia probris affecerunt, & magna locuti sunt contra populum Iehovæ* Domini *exercituum*, de qua re & phrasi sup. v. 8.

Fastus eorum.

Vers. 11.] In pœna quam promeruerunt, & quam Deus propterea illaturus est, Dei decernentis & illaturi illa judicia, Sophonias declarat immensam potentiam 1. quia est terribilis. 2. quia reliquos Deos perdit. 3. quia ab omnibus populis colitur. Videatur jam gentium harum & ipsis & alijs invicta potentia de qua ita gloriantur, à Deo paulò post confringetur, qui hactenus ita illas armavit, & aliquandiu connivere voluit. Nam suo tempore *terribilis erit Jehova* Deus ille verus, qui revera est & omnia potest, *in eis, quum emaciabit omnes Deos terræ* falsos, paulatim ac sensim perdit adimendo ipsis cultores, omniaq; sacrificia abolendo, quibus hactenus quasi turgebant, quibusq; se diffarciebant illa impura animalia, quum Deus sit spiritus, ut hoc velut cibo subducto macri fiant ac strigosi, quum Deus sit αὐτάρκης,

Dei potentia.

Dij terræ emaciantur.

ipse suis pollens opibus, nihil indigus horum,

quæ est verbi hebræi רָזָה ἔμφασις, quam Lutherus ad eventum respiciens expressit hoc modo, er wird vertilgen. Atq; ita factum esse eventus ipse postea docuit. Nam post captivitatem Babylonicam veniente demum tempore & sonante Christi Evangelio ex multis milibus gentilium

רָזָה

Dijs,

Dijs, qui ab illis antea studiosè sunt culti, postea nulli aut valde pauci remanserunt, quum abijcerentur pleriq; omnes, ut hodie paucorum nomina vix nota sint, siquidem futurum erat, ut regnum Christi per totum terrarum orbem se extenderet Psal. 2, 8. *quia se incurvabunt*, honorem exhibentes Deo vero, *& quisq; è loco suo adorabunt*, & non tantùm in Judæa, verum etiam idem præstabunt *omnes* nationes transmarinæ seu *insulæ gentium*, non opus erit in N. T. ut adorandi causa erant Jerosolymam Johan. 4, 21. sed in omni loco Deum rectè colent, etiam trans mare in Græcia vicinisq regionibus, quas Paulus potissimum peragravit & veram religionem docuit, ut in Actis videre est, siquidem

Insulæ. insulæ in scriptura dicuntur, non tantum terræ, quæ mari undiquaq; alluuntur aut cinguntur, sed & omnes regiones reliquæ, ad quas ex Judæa non nisi navibus pervenire licebat. Confer hæc loca Gen. 10, 5. &c. Esth. 10, 1. Psal. 72, 10. & 97, 1. Es. 11, 11. & 24, 14

Vicini terræ sanctæ. Vers. 13.] Tertio loco ad meridionalem terræ sanctæ vicinitatem aut tractum propheta se convertit, quum priùs occidentalem, ubi habitabant philistæi, & orientalem, quam incolebant Moabitæ ac Hammonitæ, respexisset, & postea versu sequenti transibit ad tractum aquilonarem, ut ita ab omni parte, quò se vertent cunq;, judiciorum divinorum exempla Judæi aspiciant. Ad meridiem verò respectu terræ sanctæ siti erant Arabes, Aegyptij & Aethiopes, quorum nomine hîc synecdochicè istos omnes propheta denotat, præsertim quia illi primi quandoq; communi Æthiopum comprehendebantur nomine, eò quod essent ipsis vicini. Vide Habac. 3, 7. & Confer Nahum 3, 9. Es. 43. 3.

Æthiopes, Etiam *vos Aethiopes*, inquit Jehova, incolæ Arabiæ Chusææ,

& vicina-

& vicinarum regionum perdemini, ut & factum legimus 2. Chron. 14, 9. & in locis supra in analysi citatis, & *confossi* seu interfecti *gladio meo* Nebucadnetzaris, mei servi, meæ virgæ Esa 10. 5. *ipsi vos* eritis, ubi הֵמָּה pronomen ponitur loco verbi substantivi, quæ antimeria apud hæbræos est frequens, ut explicat Buxtorf. in thesaur. primæ edit: pag. 356. 358. 360. & in primis 395. Quod verò הֵמָּה sit omnium trium personarum, sicut Idem & Ipse apud latinos, & ἑαυτοῦ cum reliquis obliquis apud græcos, in utroq; numero Matt. 3, 9. 2. Ioh. v. 8. הִמּוֹ apud Chaldæos. Esr. 5, 11. id fortè non adeo notum est invulgus & proinde hîc notandum, sicut & adfixum tertiæ personæ apud Syros usurpatur, quod observetur cum Tremelio, ut in alijs exemplis facilius nos expedire possimus. Quod cum multi hîc non observarent, omninò ita reddendum per ellipsin existimant, interfecti eritis gladio meo cum istis, ut nonnulli etiam explicant illud Psal. 9, 7. Lutherus melius nobiscum vertit, Auch solt ihr Moren durch mein Schwerdt erschlagen werden.

הֵמָּה triumpersonarum.

Vers. 13] Quia vero Assyrij videbantur propitio Deo cuncta occupare, ut ipse Sennacheribi legatus Rabsaces gloriabatur 1. Reg. 18. 25. etiam hîc scrupulus erat pijs eximendus, cum eorum potestatem metuere necesse haberent: proinde nunc tandem ad eos se convertit noster propheta, pœnam ijs quoq; à Deo decretam prædicit, sicut pluribus in Nahum suprà vidimus, qui omninò cum hoc membro conferendus: in quo moratur Sophonias diutius, eò quod res prorsus putabatur ἐκ τῶν ἀδυνάτων. *Nam* inquit *extendet* Iehova puniturus sup. c. 1, 4. *manum suam etiam versus Aquilonem, ut perdat Assyriam*, quæ respectu Iudææ ad

Assyrij perdentur

aquilonem erat sita. confer Jerem 1, 13. 14. 15. *disponatq; Niniven*, quæ tunc erat caput regnorum orientis *desolationi* & eam, quæ nunc aquis abundat Nah. 2, 6. 8. *siccam, ut desertum*.

Pro delitijs Ninevitarum quæ substituta.

Vers. 14.] Hæc autem vastatio pluribus signis porrò describitur, in quibus multa pulchre opponuntur Ninevitarum luxui, quemadmodũ Nahum. 2, 8. 9. 11. 12. & 3, 1. 4. 7. 16. 17. Visebantur in Ninevitarum palatijs simiæ, cercopithæci, psittaci & alia ejus generis animalia, quibus homines vani & heroinæ molles delectari solent: audiebantur musicorum concentus, & cantilenis ad voluptatem ac libidinem compositis domus omnes & plateæ resonabant: & dum quotidie

manè salutantum totis vomit ædibus undam,

frequentabantur magnatum limina ac fores à clientibus, hospitibus, peregrinis, barasitis, scuris, mimis, saltatoribus. sed hæc omnia mox in tristissimam rerum faciem commutabuntur; quia postea *accubabunt in eâ* civitate luxuriosissimâ *greges* (vide suprà v. 6.) *omnes bestiæ gentium*, omnis generis feræ truculentissimæ, quales apud longe dissitas gentes inveniuntur, pro psittaco, philomela, turdela, carducli, & si quæ aliæ aves canunt in domibus dulcisſimè, audientur tum post vastationem omnis generis aves inauspicatæ ac ingratæ, *tum platea* seu pellicanus, *tum anataria* seu ericius (illam græci interpretes πελεκᾶν, hanc arabes medici ἐχῖνον nominant, Lutherus Rhordomel und Igel) de quibus nominibus & avium natura vide pluribus hoc loco differentes Riberam ac Drusium: ego, quia sunt aves nobis fortè prorsus incognitæ, illa in medio relinquo, & tantum probo, quod sint inauspicatæ ac deserti amantes, id quod colligere est

קאת קפד

sunt aves inauspicatæ.

est ex his scripturæ locis Psal. 102, 7. Esa. 34, 11. & 14, 23. Judæi hodierni in Germania degentes, teste Reuchlino in capitibus concordantiarum, illam vocant einem Wiedhopffen/ hanc eine Eule: utraq; autem avis olim inter immundas numerata est. de illa expressus textus est Levit 11, 18. Deut. 14, 17. de hac Judæorum traditio, quæ videatur apud R. D. Kimchi in libro Radicum. illæ vero aves solitudinem alias incolentes tum *in malogranatis* ac superliminaribus *ejus* urbis Nineves nidulabuntur ac jugiter *pernoctabunt*, supra ipsas domorum januas, in ὑπερθύρῳ seu ἀνωπίῳ, in quo malogranata pingi vel fingi, quemadmodum etiam summis turribus talia imponi solent ἀκρωτήρια vide Amos 9, 1. ut ita facilè possis illud Lutheri auff jhren Thürmen defendere, quia utrumq; benè huic loco quadrat; illud, ut indicet, non esse, qui ædes ingrediatur, aut inde egrediatur: hoc, etiam summa palatia & arces non inhabitari, nedum alias viliores domunculas, quando *vox* inauspicatarum avium *cantabit in fenestra*, quæ est optima vastatæ urbis ac arcis hypotyposis, ubi noctuæ, ululæ & similes aves ex fenestris relictorum murorum solent prospectare, *& desolatio erit in poste*, seu potius limine inferiori vel ὑποθύρῳ, ut ita oponatur superliminari, q. d. limina ipsa januarum destruentur, neq; posthac ullus hominum ea calcabit, siquidem propriè סַף est limen inferius postes autem dicuntur מְזוּזוֹת. Pro eo autem quod est in textu hebræo חֹרֶב more suo aliud cognatum legisse videntur græci interpretes, qui vulgò dicuntur LXX. videlicet עֹרֵב i. e. corvus, quos vulgatus interpres latinus & alij hic sequuntur, sed errore ex ijs traducto, quemadmodum ille etiam vertit סַף superliminare, quod à textu hebræo discrepat, quicquid in his vitijs, quæ sunt in versio-

כַּפְתֹּר

סַף

 ne-

ne vulgata latina, palliandis nugetur Ribera, cui nunquam concedimus, biblia hebræa corrupta fuisse aut mutata. Taceo illud, quod sequentia rationem satis manifestam suppeditent, cur limen quoq; inferum in ædibus sit periturum, nempe quia Deus in vastatione urbis *cedrum eius* in ædibus magnificis *nudavit*, tabulatum cedrinum detexit, & proinde ablato tecto, necesse est, reliquas domus partes corrumpi, cùm jugiter sint expositæ aeris injuriæ, ventorum, imbrium &c. quomodo simul luxus in ædificijs ex nimis sumptuosa materia structis reprehenditur sicut & Esa. 13, 9. quod totum caput cum hoc loco diligenter collatum magnam huic lucem afferet & vicissim inde capiet.

Tabulatum cedrinum.

Vers. 15] His expositis demum conclusio & pia insultatio subjicitur, quâ Propheta in persona omnis pij partim ad Dei gloriam, partim ad Ninevitarum superborum, minasq; Dei contemnentium ignominiam inanem confidentiam, intollerabilem jactantiam ac contumelias irridet, aliorumq; insultationem explicat hoc modo: *hujusmodi* ita vastata, ita deserta, ita desolata *erit civitas illa, exultabunda* Nineve, successu rerum nimis læta atq; elata, gloriosa, superba, lasciva, luxuriosa, quæ habitat hactenus confidenter, *residet securè*, nec quenquam metuit *quæ dicit cum animo suo*, itaq; secum male mala reputat in corde: Ego sum sola potens, invicta, rerumq; Domina, nec est ulla urbs alia, quæ mecum conferri possit, aut mecum de primatu certare ausit: *Ego sum* tam gloriosa ut *præter me nulla sit amplius*, ita ornata, ita ditata, ita imperio ac opibus donata Esa. 47, 8. Illa autem urbs, quæ ista jactitabat temere, quomodo ex justo Dei judicio in vastitatem contra omnium opinionem est redacta? *quomodo est desolationi?* quomodo est *cubile bestijs?* supra v. 14. certè, qui eam antea vidit, & nunc

Ninevitarum vastatio.

& jactantia.

post

post aliquot fera regna videns miratur aristas,

& quisquis transibit per eam, tantum abest, ut συμπάθειαν suam declaret, ut potius eam sibilet, quod est irrisionis signum 1. Reg. 9, 8. Thren. 2, 15. 17. Ezech. 27, 36. Mich. 6, 16. Confer omninò Nahum 3, 19. & moveat seu agitet manum suam, digito per ludibrium demonstret, jactatoq; brachio ludificetur; qui est subsannantium & plaudentium gestus, isq; huc optimè quadrat, quia de ruina Ninæves effusissimè lætati sunt, eiq; insultarunt plurimi, ut Nahum 3, 19. videre est.

sibilare

Agitare manum.

Opiter verò hîc observa propter quorundam observationes minimè observandas, de phrasi, quæ extat in principio versus. אָמַר בְּלֵב i.e. cogitavit, sæpe in malam accipitur partem: quia illi, qui cogitant tantum, nec cogitata audent proloqui aut in lucem proferre, sunt plerumq; mali. Aliquando tamen pro subjecta materia accipitur in bonam partem, quod negant illi, contra quos hæc notamus. Gen. 8, 21. de Deo usurpater. confer 1. Sam. 27, 1. Gen. 17, 17. de Abrahamo Deut. 18, 21. Psal. 4, 5. divinum præceptum est Eccles. 3, 17. est ἀντίθεσις Esa. 49, 21. similis phrasis extat Psal. 27, 8. Mat. 9, 21. 1. Reg. 5, 5. etiam in bonam partem usurpata, ut sanè sit de nihilo, dicere in corde, TANTUM esse improborum. Nimirum apud intelligentes,

Phrasis, Dixit in corde,

etiam in bonam partem accepta

Quantum quisq; locis scripturæ adjecerit istis,
Tantum habet & fidei.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.

Quia in hoc versu sunt elegantes παρονομασίαι à Spiritu Sancto

Eloquen-

Eloquentiæ studium commendatur ministris verbi,

Sancto per Prophetam adhibitæ, monemur ab eloquentiæ studio verbi divini ministrum non debere esse alienum, quum id Spiritus S. non spernat, qui nec illud damnat, nisi quatenus nimium illi tribuitur, & soli opera navatur, ut faciebant pseudoapostoli, qui relicto Dei verbo inanes quasdam tantùm venabantur Philosophicas, pro suæ sectæ ratione, elegantias. 1. Cor. 1, 17. & 2, 4. 5. 13. 1. Pet. 1, 16. Colos. 2, 8. Nos autem volumus, ut minister verbi res ex sacris literis ritè deprom̃ptas, ordine & scitè proponat, ut ita Philosophica ornamenta ancilentur suæ Dominæ Theologiæ, & illa profana ad pium usum convertamus, sicut quondam spolia Aegyptiaca adhibebantur ad tabernaculi sancti, & ab alijs hostibus acceptæ per Davidem manubiæ ad templi structuram qua de re vide Mich. 4, 13. & in genere

à multis,

differentem *Augustin. lib. 2. de doct. Christ. Basilium M. in oratione πρὸς τοὺς νέους. Chytræum de studio Theol rectè formando. Aretium in problemate 103. 104. 105. Meisn. p. 1, phil. sobr. questione generali.* In specie id facile de Rhetoricæ usu posset pluribus probari, quomodo in scriptura creberrimus usus sit omnium torporum Metonymiæ, Jroniæ,

inprimis Rhetoricæ usus.

Metaphoræ, Synecdoches, omnium figurarum in dictione & extra dixionem, ut vulgò dividuntur, nisi hæc ex alijs facilè suppleri posse crederemus. Videantur 1). *Chytræi in Rhetoricam annotationes. Hyperius de studio Theolog. Jndex subjunctus Biblijs Tremellij & Junij.* Quid? quod nec

Ακρόστιχα in Biblijs.

ab ἀκροστίχοις alphabeticis Spiritus S. in textu hebræo abstinuit in Psal. 25. 34. 37. 111. 112. 119. 145. Prov. 31, v. 10 &c. & quatuor capitibus prioribus Threnorum Jeremiæ. Sed hæc levia (ut vulgo putantur) quis curat, quum pleraq; nostra studia consumuntur vel in controversijs cognoscendis, vel

in

in postillis legendis? Vide *D. Paulum Tarnovium* patruum & præceptorum meum, de Sacro sancto ministerio pag. 200. &c. pag. 229. &c. & hinc inde in istis libris.

Ex versu 5. & 6.]

Væ habitatoribus tractus maritimi, me perditurum esse te, ne ullus sit habitator.] Locus hic est optimus dicendi, quod, quemadmodum in mare flumina, sic in magnas civitates, præcipue maritimas, multa confluant vitia, & proinde quando Deus satis diu connivere voluit, nec homines in eis agunt pœnitentiam, perduntur, ut olim Tyrus & Sidon, qua de re pluribus Esa. 23, 1. Jer. 25, 22. & 47, 4. 7. Ezech. 26, 2. & 27, 3. & 28, 2. Confer etiam quæ dicta sunt Nahum 3, 8. vide Corinthum, Athenas, Carthaginem, & ad usum hæc transfer, cui talia sunt commissa, & dic cum Salvatore, Væ tibi Capernaum &c.

Urbes maritimæ, malæ perduntur, ne fiat, moneantur.

Ex versu 7.]

I. *Et erit pro residuo domus Jehudæ, ut eos pascant*] Christo regi Ecclesiæ à patre sunt dati fines terræ in possessionem. Vide in Psal. 2, 8. quos ipse pascit suo verbo Ps. 23, 1. Johan. 10, 11. piorum ministrorum verbi operâ Joh. 21, 15 16. 17. & 20, 28. & ita ipsi in Christo habent arma divinitus valida ad destructionem munitionum, rationes evertendo, omnemq; sublimitatem, quæ se extollit adversus cognitionem Dei 2. Corinth. 10, 4. 5. quomodo pij in & per Christum, cujus corporis membra sunt, hæreditario jure terram possident, qua de re vide quæ dicta sunt Amos 9, 14. 15. Obadj. v. 18. 19. 20. Psal. 8, 8. 9.

Christus Ecclesiæ pastor.

Christiani hæredes terræ.

II. *Vespere accubabunt*] Verè pij justificati fide pacem habent apud Deum Rom. 5, 1. & sunt securi Ps. 4, 9. Jer. 23, 6.

Credentes sunt securi.

dicen-

dicentes, in Deo confido non timebo, quid faciat mihi homo? Psal. 27, 1. & 56, 12. & 118, 6. 7. cubant & dormiunt, donec expergefaciant seipsos, quia Jehova sustentat eos Psal. 3, 4. 6. 7.

Christus pascit suas oves. III. Qui promiserat apud Jeremiam cap. 23, 3. 4. congregabo residuum omnium mearum ovium ex omnibus regionibus, constituamque super eas pastores, qui pascent eas, ita ut non timeant amplius, neque consternentur, neque desiderentur, idem postea in Christo (de quo in illo capite Jerem. agitur) id complevit. Vide Johan. 10, 10. 16. 28, 29. & 11, 51. 52. & 17, 20. Actor. 2, 5. 6. 9. 10. 46. 47. & 4, 31. 32. Hebr. 13. 20. 1. Pet. 2, 25.

Ex versu 8.]

Deus audit & videt omnia. I. *Audivi*] Deus audit & cernit omnia 1. Joh. 3, 20. Hebr. 4, 13. Job. 28, 24. & 11, 7. & 34, 2. inprimis verò audit, videt atque sic, quibus malis impij affligant pios Gen. 31, 12. Exod. 3, 7. 2. Chron. 24, 22. Qui enim plantavit aurem, nonne audiat? qui finxit oculum, nonne videat? Psal. 94, 9. 10. & qui inspector est cordis, ipse intelligit, Prov 24, 12.

Bonis malè, malis benè. II. *Quibus probris affecerunt populum meum*] Ecclesia & filij Dei charissimi sunt in hac terra sub cruce, exercenturque ab improbis, qui prosperè plerumque ad tempus agunt, sed illi magno suo bono, hi maximo suo malo, de quo Psal. 37. & 73. Illos enim tanquam pater admones probat, hos verò tanquam rex severus condemnans in quæstionem adducit Sap. 11, 11.

Jactantia damnatur III. *Magna locuti sunt contra terminum ipsorum.*] Jactantia ac magniloquentia est grande vitium, Deoque exosum, & graviter ab ipso punitur Prov. 25, 6. & 27, 1. & 28, 25.

Jerem.

Jerem. 9, 23. 1. Cor. 3, 21. & 4, 7. & 5, 6. & 8, 2. 2. Cor. 12, 1. Jacob. 3, 14. & 4, 16. Exempla vide à Deo ſtatuta in Pharaone Exod. 5, 2, & 14, 27. 28. Goliatho 1. Sam. 17, 8. Rabſace 2. Reg. 18, 33. & 19, 35, Holoferne Judith 8, 1. 2. 3. Rege Aſſyriorum Eſa. 10, 3 Tyro & rege Tyri Ezech. 27, 3. Nebucadnetzare Dan. 3, 15. & 4, 27. Demetrio 1. Macc. 10, 70. Nicanore 2. Macc. 8, 14.

Ex verſu 9.]

Malorum irriſiones puniuntur.

Idcirco vivo ego, Moab ut ſodom erit] Deus irriſiones malorum, quibus illudunt ipſi bonis, & videt & punit Exod. 8, 29. Job 13, 9. Jerem. 9, 5. 9. Ezech. 23, 33. 35. Galat. 6, 7. Exempla ſunt in Iſmaele Gen. 21, 9. Galat. 4, 29 Michale 2. Sam. 6, 16 21. 23. quadraginta duobus pueris Bethelitis 2. Reg. 2, 23. 24. Simei 1. Reg. 2, 44. de reliquis vide ſuprà v. 7.

Ex verſu 10.]

& ſuperbia.

Hoc erit eis pro faſtu] Superbia eſt Deo maximè exoſa. Vide Obad. v. 3. 4. Habac. 2, 5. Amos 6, 8. ſuprà 1, 3. de ceteris videatur verſus 8. hujus capitis.

Ex verſu 11.]

Idola cum idololatris tolluntur.

I. *Terribilis erit Jehova in eis, quum emaciabit omnes Deos*] Deus tandem idola cum idololatris tollit. vide Amos 3, 14. 15. & 4, 4. 5. 6. & 5, 2. 4. 5. 26. 27. & 8. 14. Mich. 5, 12. 13. 14 15. Nahum. 1, 14. Habac. 1, 16. 17. & 2, 18. 19.

Adorare in omni loco.

II. *Incurvabunt ſe quisq; è loco ſuo*] Regnum Chriſti in N. T. in totum terrarum orbem erat diſpergendum, adeo ut in omni loco poſſint adorare Deum vere & in ſpiritu Johan. 4, 21. 23. 1. Timoth. 2, 8. Vide plura in hanc ſenten-

 tiam

tiam dicta Amos, 9, 12. Obadj. v. 19. 20. Mich. 4, 1.2.5.6.
7. & 7, 14. 16. 17.

Ex versu 12.]

Aethiopes deleti.

Etiam vos Æthiopes confossi gladio meo eritis. Quia Æthiopes & Ægyptij sunt dati in redemtionem Israelitarum Esa. 43, 3. quando rex Tirhaka cum maximis copijs Assyriam voluit invadere 2. Reg. 19, 9. monemur, verum esse illud, quod Provb. 11, 8. habetur; Iustus ex angustia liberatur, & devenit improbus in locum ejus. Item, cùm istæ magnæ copiæ Æthiopum, de quibus 2. Chron. 14, 9. sunt deletæ, discimus, quod nullæ vires sint adversus Dominum Prov. 21, 30.31.

Ex versu 13.]

Potentes Resp. eversæ.

Extendit manum versus Aquilonem, disponetq; Nineven.] Quò civitas potentior, quò majus est imperium, eò punitur graviùs, si Deum, à quo habet illam potestatem, Ioh. 19, 11. Rom. 13, 1. nefariè spernat Sir. 10, 8. proinde audite reges, intelligite, discitè, ô judices, auribus percipite dominatores multitudinis & superbientes de turbis nationum, nam data est potentia vobis à Domino, & potestas ab altissimo, qui quæstionem habebit de operibus vestris, & consilia vestra perscrutabitur Sap. 6, 1.2.3. Vide eversam monarchiam Assyriorum, Medorum, Græcorum, & nutantem jam Romanam, ac vix pedibus luteis consistentem, de quibus Daniel prolixiùs. Considera Nineven, Ierosolymam, Babylonem, Romam, Carthaginem, & in hoc ducatu quondam florentem & valde nobilem Megapolin &c. eversæ sunt omnes & singulæ.

Ex versu 14]

Luxus in luctum vertitur.

I. *Accubabunt in eâ bestiæ gentium*] Luxus cedit in luctum,

luctum, & ædificiorum nimia exornatio justo Dei judicio, tandem erit desolatio. Vide Amos. 1, 4. & 3, 15. & 6, 8. 11. Obadj. vers. 4. Michael. 1, 6. & 3, 10. 12. Habac, 2, 9. 11. 12. sup. 1, 13.

II. *Tum platea, tum anataria.*] Si avium funestarum vox nos conmovet Es. 13, 21. 22. Eccl. 12, 4. quantò magis perterrefacere debebat infernalis vulturis seu Diaboli cantus, cujus

Cantus avis.

fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Luc. 8, 5. 12. Eph. 2, 2. Apoc. 18, 2. quin imò, quomodo avis etiam dulcisonus cantus perterrefaciat hominem malè sibi conscium, vide Sap. 17, 4. 11. 19.

Ex versu 15]

I. *Hujusmodi erit civitas illa exultabunda, quæ residet securè*] Sæpe pij impijs obstinatis pereuntibus insultant, non quod eorum gaudeant interitu, sed quod Dei gloriam asseri videant Psal. 52, 8. 9. Job. 5, 22. & 8, 21. 22.

Cum pereunt mali, gaudent boni.

II. *Quæ dicit cum animo suo, Ego sum, & nulla præter me*] Quamobrem superbit terra & cinis? Sir. 10, 8. noli altum sapere, sed time Rom. 11, 20. quia hoc est solius Dei, dicere de se reverâ, Ego sum, qui sum, Exod. 3, 14. Ego sum Dominus Deus, & non est alius præter me Psa. 45, 5. 21. & 48, 12.

Deus solus potest dicere, Ego sum.

CAPUT TERTIUM.

Argumentum.

PRopheta Judæorum, & inprimis illorum qui Jerosolymis rerum potiebantur, scelera redarguit, pœnasq; quas illis

Summa.

illis promeruerint, denunciat, easq; nisi resipuerint illatum iri asserit. Cum vero in illo populo, reliqui erant pij aliquot, illis promissiones Evangelicas proponit, restitutionemq; promittit, quæ in christo demum plenè exhibita est, de cujus regno vaticinium contexit egregium consolationisq; plenissimum, in quo totam salutis rationem explicat, quando agit de gentium vocatione, Ecclesiæ instauratione, peccatorum remissione, & membrorum illius sanctificatione ac gloria æterna per Christum parta, & ab eodem olim exhibenda. Potest igitur hoc caput cum nonnullis dividi in partes duas, quarum prior sit legalis concio, & de peccatis Jerosolymorum accusatio, pœnarumq;, quas illis meruerunt, denunciatio. Posterior promissionum Evangelicarum de Messia, ejusq; beneficijs in Ecclesiam redundaturis post illam afflictionem, ut hac re se erigant & solentur piorum reliquiæ. Nos autem aliquantò pleniùs ita singula membra videbimus, si totum caput itidem dividamus in partes duas, quarum una sit seria ad resipiscentiam hortatio, quæ oritur ex horendi judicij, nisi resipuerint, certo exspectandi denunciatione: Altera egregia ad lætitiam spiritualem exitatio, quæ nascitur ex maximi beneficij, cum resipuerint, certo per Christum exhibendi exaggeratione. Illius membra principalia duo sunt, sententiæ Dei decretoriæ latio, & causarum, cur illa jure optimo lata sit, enarratio, tam generalis v. 1. quam specialis ubi explicantur & singulorum ordinum in Republ. vitia, popularium seu status Oeconomici v. 2. magistratus politici v. 3. & Ecclesiastici v. 4. & in vitijs seu peccatis perseverantia vel contumacia, quæ probatur dupliciter, tum quod verbo Dei admoniti non resipuerint v. 5. tum quod nec exterorum exemplis horrendis

Divisio popularis.

Alia plenior; partes duæ.

I.

II.

Prioris membra duo,

1.

2.

dis propter peccata sua punitorum, a peccatis ad frugem redierint v. 6. quæ duo repetita conjunguntur v. 7. In secunda parte, cujus propositio habetur v. 14. est potissimum causarum, propter quas Ecclesiæ sit lætandum, expositio: sunt vero beneficia, quæ Deus illi est exhibiturus I. in gentium ad Ecclesiam vocatione, ex quibus inimicos ac obstinatos, imò & qui sunt in illâ malos est perditurus v. 8. dociles & conversos in populum suum Deus est cooptaturus v. 9. ut cum Judæis communicatis operis ad ipsum accedant v. 10. II. In ipsius Ecclesiæ bona constitutione, quippe quæ erit ab improbis vacua & secreta v. 11. soloq; Deo nixa v. 12. & in Christo sancto v. 13. III. In inimicorum omniumq; malorum & metus servilis remotione v. 15. 16. IV. In Dei regis sui protectione, cujus deprædicatur partim potentia, & ex Ecclesiæ amore orta lætitia v. 17. partim in dispersis electis suis ad Ecclesiam congregandis, ab hostibus liberandis ac æternum glorificandis celebratur diligentia v. 18. 19. 20.

Posterioris itidem duo.
Beneficia Ecclesiæ promissa.
1.
2.
3.
4.

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Postquam propheta præcedenti capite gravissima Dei judicia exposuit, quæ manebant gentes Judæis vicinas, parumq; & hac ratione se proficisse videt, quum hi non futurum putarent, ut illa judicia etiam ad se, sanctum Dei populum pertingerent, ad eam hortationem, quam in superioris capitis initio cœperat, redit, ipsosq; ut à flagitijs tandem desistant, & sancta resipicentia ad Deum offensum accedant graviter hortatur, atq; ut attentos reddat, securos horrenda voce incipit, aliquot epithetis fœdissimis statum urbis Jerosolymæ corruptissimum esse ostendit, eaq; inani gloriationi,

Judæorũ reprehensio.

Primò sanctæ civitatis. tioni, qua ob ſanctitatem ac juſtitiam, quam ſibi vendicabant fruſtra, ejus incolæ ſe efferebant, opponit, quod certè iſti populo exordium fuit acerbum, qui hanc urbem unam in toto terrarum orbe habebat ſanctiſsimam, quam propheta prius in genere valdè pollutam, deinde avaritiæ deditam in hoc verſu primò arguit, dum ſic loquitur: *Væ* ignominiâ ſummâ notatæ, *fœdatæ*, inquinatæ & *contaminatæ, civitati*, inquam, *huic opprimenti* & prædatrici, hebraicè valdè emphaticè הוֹי מוֹרְאָה וְנִגְאָלָה הָעִיר הַיּוֹנָה Lutherus quod ad ſenſum, reddit ſatis benè, wehe der ſcheußlichen / vnfletigen / Tyranniſchen Stadt. Sed operæ precium eſt ſingulas voces, earumq́ vim rimari accuratius, ut inde de hujus verſionis, quæ tamen à vi vocum videtur

מוֹרְאָה diſcrepare, conſtet veritate. Vox מוֹרְאָה eſt participium Hophal à Rad. רָאָה i. e. vidit, in Hiphil oſtendit, demonſtravit, & peculiariter cum de flagitioſis uſurpatur,

παραδειγματίζειν. παραδειγμάτισε publicæ infamiæ expoſuit, exemplum ſtatuendo, in quod reſpiciant alij Matth. 1, 19. tanquam in ſpeculum i. e. רְאִי de quo Nah. 3, 6. ſeu הַמַּרְאוֹת Exod. 38, 8. ut ſit ſumptum hæc loquendi genus ab ijs, qui publicâ notati ſunt infamiâ, ſeu in quos exemplum ſtatutum eſt publicum, & hæc vox idem notet, quod græcis παραδειγματιζομένη, oſtentui habita, cum vitijs ac ſceleribus infamem ſe reddidit ſpectatu viris bonis horrenda, â qua oculos avertunt. Hæc eſt emphaſis ejus vocis, quæ aliâs, cum nomen

Junius vertit ingluviem. eſt, ſignificat ingluviem, ut Levit. 1, 16. ſeu gutturis veſiculam in faucibus, quæ cibi multarumq́ ſordium eſt receptaculum, ſic dictam, quod cibo diſtenta proſtet aſpectui & facilè videatur, quomodo *Junius* h. l. vertit, & ſatis benè in notis explicat, ut apud eum videre eſt. Verum quia reli-

qua

qui epitheta ſunt participia & concreta, etiam hoc tale eſſe credimus; Interim ſententia illa noſtræ non eſt contraria, ſed aliquantò contractior, modumq́ʒ quomodo ſit meritò παραδειγματιζομένη explicat, videlicet ſi regnum vel urbem conferas cum corpore humano, & ſi in hoc protuberet ſtruma, homo ipſe eſt deformis; ita hæc civitas meritò ab omnibus habetur fœdata, cum rapinis abundet, quas nequeat in ſtomachium traijcere, concoquere, ac in ſuccum ac ſanguinem convertere. *Hieronymus* vertit provocatrix, græcè παραπικραίνουσα, explicat, Deum amarum faciens, id eſt, ſuo vitio, dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem, ut cum miſereri vult, punire cogatur, quæ ſententia olim fuit *R. Jeſchua*, væ rebelli, quaſi à מָרָה & א ſit loco tertiæ Radicalis ה Cognata hæc ſunt, non tamen eadem, nec facilè confundenda, & proinde priorem retinemus ſententiam. Secunda vox נִגְאָלָה itidem h. l. malè ab *Hieronymo* vertitur redempta, cum tamen eam urbem, cui attribuit, culpet, & illa ſignificatio altera contaminandi in ſcripturis ſit ſatis frequens Eſdr. 2, 62. Neh. 7, 64. & 13, 29. Iob. 3, 5. Eſa. 59, 3. & 63, 3. Thren. 4, 14. Dan. 1, 8. Mal. 1, 7. 12. Tertia vox הַיּוֹנָה itidem eſt participium Cal, à R. יָנָה oppreſſit, quocunque modo fraudando ac lædendo, ſiquidem tam de læſione corporis, quàm damno, quod rei nummariæ infertur, dicitur, & quia columba inter aves eſt ſatis fatua ac ſimplex Hoſ 7, 11. & proinde oppreſsioni ac prædæ multum expoſita, etiam inde idem apud hebræos nomen habet: Hoc in loco tamen propter ה præfixum ita cum Hieronymo verti nequit, ut oſtendit Druſius ex loco ſimili Ierem. 46, 16. Nobis ſufficit notaſſe ſcripturæ analogiam in alijs locis, ubi itidem oppri-

Conciliatur.

Etiam Hieron.

& R Jeſchua.

נִגְאָלָה *non notat redemptā.*

הַיּוֹנָה *non ſignificat hic columbā.*

men-

mendi, defraudandi expilandi significationem habet hoc verbum hebræum, Exod. 22, 20. Lev. 19, 33. & 25, 14. 17. Deut. 23, 17. Psal. 74, 8. & 123. v. 1. Prov. 29, 20. Esa. 49, 26. Jer. 22, 3. & 25, 38. & 50, 16. Ezech. 18, 7. 12. 16. & 22, 7. 29. & 45, 8. & 46, 18. Jam cum toto h. l. confer cap. 1. & 5. Esaiæ, ubi fermè eodem modo in hunc ipsum populum propheta invehitur, & omnia satis puto intelliges, quæ sunt in versu primo hujus capitis vel tribus notata verbis, sed valde emphaticis, & plerisq; interpretibus incognitis.

Vers. 2.] Si quis nunc quærat, cur his tam dira minetur
Vates, omnipotens sua cui secreta revelat?

Scelera Judæorū.

ipse rationem versu secundo subijcit quadruplicem, & ne convitiator habeatur, scelera nota enumerat, ob quæ meritò eam urbem, vulgo sanctissimam habitam, ita culpet, quæ sunt 1. verbi divini contemptus 2. rebellio seu disciplinæ impatientia. 3. diffidentia. 4. Impœnitentia. Illa enim urbs Ierosolyma, quæ se tam sanctam verbis venditat, revera *non auscultat voci* prophetarum, dicto Dei non est audiens, Luth. sie wil nicht gehorchen / propterea à me castigata. *desciplinam non accipit*, se institui aut erudiri, in meliusq; emendari non patitur, quod certissimum stultitiæ est argumentum Prov. 1, 7. Deinde vero gravius afflicta aut malis pressa, vel ad illicita confugit media, vel planè desperat, *Jehovæ* verò, urgentibus periculis, *non confidit*, & propter hæc omnia per ministros verbi reprehensa, pœnitentiam non agit, *ad Deum* per resipiscentiam & orationem Hos. 6, 1. *non appropinquat*; veniam non petit, pieq; non vivit, siquidem, qui impiè vivit, à Deo procul recedit

Non auscultat verbo Dei

nec ad Deum appropinquat,

Esa.

Esa. 59, 2. & 29, 13. Luc. 15, 13. quomodo iterum negatio vehementissimam affirmationem contrarij innuit, ut supra c. 1, 6. Neq; verò etiam hoc caret emphasi, quod dicit, *Deum suum,* non qui jam in ipsa flagitiosa vita illis faveat, sed qui eos peculiariter, dum in peculium suum adoptavit, beneficijs plurimis cumulavit, adhuc verbo suo vocat, & manus extendens invitat, quemq; ipsi reverà, si reverterentur, Deum suum nominare poterant, imò quem ipsi, quâ sunt impudentia, Deum suum esse gloriantur, ecce hunc aversantur, ut hostem, quoq certè maximum summæ ingraditudinis signum est, Confer Esa. 31, 5. 6. Hos. 7, 10. 13. Amos 2, 9. 10. 11. & 3, 12. Mich. 6, 2. 3. 4. *Deum suum.*

Vers. 3.] Atq; hactenus peccata hæc in genere toti populo tribuit. Cum verò nullum sit dubium, non minimam hujus corruptionis causam esse malam administrationem officij gubernatorem in politia ac Ecclesia, nunc contra morem plerorumq; hodiernum, ubi

dat veniam corvis, vexat censura columbas.

in specie ad illos descendit, sicut vidimus Mich. 3, 1. 2. 3. 5. 11. In illis, qui primas tenent in statu politico, Deiq; vicarij sunt, ut jus administrent, regnat tyrannis & inexplebilis avaritia. Nam *principes ejus* civitatis non tantum in peregrinos grassantur, verum etiam in cives sæviunt, qui sunt *in medio ejus,* contra hos *sunt leones* rugientes. Ut enim leo reliquis animalibus rugitu suo terrorem incutit, eaq; esuriens discerpit: ita etiam hi, quibus debebant esse in suo officio, solatio & protectioni, Rom. 13, 2. illis sunt terrori, & quos contra injuriam debebant defendere, his illi primum omnium eam inferunt. Prov. 28, 15. Mich. 5, 8. Vide Nahum 2. 11. 12. *& judices ejus,* inferioris dignitatis magistra- *Principes velut leones.*

K tus

tus præsides ac senatores sunt tam rapaces, *ut lupi vespertini* qui nocte grassantur, cum per diem fame fermè perierint, & quibus tum nihil rapacius, (qua de re vide plura Hab. *1,8.*) quippe tum pecudes abiguntur in stabula, & proinde his intra sepem conclusis desperant se prædam posse consequi, & si qua præter spem obvenit, avidissimè accipiunt, cum fames vehementer eos urgeat, siquidem toto die venter resedit esuriales ferias, brevissimo temporis spacio omnia absumunt, ita quidem, ut & ossa comminuant statim, nec quicquam reliquum faciant in tempus matutinum, siquidem *non rodunt ossa in matutinum usq;*. Lutherus benè: Sie lassen nichts biß auff den Morgen vber bleiben.

Status Ecclesiasticus. Vers. *4.*) Prætereà ejusdem farinæ sunt, qui in statu Ecclesiastico sunt primi, & cum ipsorum esset, illos primores cœlo capita alta ferentes, propter illam tyrannidem reprehendere, hi cum ipsis colludunt, religionem pro illorum hominum arbitrio flectunt, probè sciunt uti foro, omniumq; horarum sunt homines, ait quis, ajunt, negat, negânt, is quæstus demum est illis à Deo in Ecclesia constitutis episcopis seu Superintendentibus nunc multô uberrimus. Nam *prophetæ ejus* sanctæ urbis Jerosolimorum *sunt leves*, fein leichtfertige Gesellen/ in quorum vita & doctrina nulla gravitas, nullo autoritas, nulla severitas, nulla constantia, siquidem prout est homo, in, quem incidunt, ita morem gerunt, & verbum Dei cauponantur, normamq; פּוֹחֲזִים docendi & vivendi variè inflectunt, prout illi, quibuscum vivunt, libenter vident & audiunt. פּוֹחֲזִים variè vertitur, nostra explicatio & ipsi verbo, & huic loco optimè quadrat: Significat enim propriè levem mente esse, ita tamen, ut incessu festino & ad levitatem composito hoc indicetur

Gen.

Gen. 49, 4. Jud. 9, 4. Jer. 23, 32. seducunt populum meum levitate suâ. Quales vero hi? Sint coram mundo homines faciles, lepidi, hilares, suaves, & si quid vanorum titulorum â mundo largiter istis parasitis tributorum super est, â averaci Deo angelisq; sanctis, cum à diabolo Dei carnifice ad summum tribunal sistuntur, & de vita ac doctrina sua examinantur, concluditur, decernitur, & per hunc prophetam revelatur, quod sint *viri perfidiarum* h. e. perfidiosissimi, qui neq; Deo, neq; hominibus fidem datam servant, sein schendliche Verächter / die Gottes Gebott vnd jhre eigene zusage vnd gelübde nichts achten. Porro *sacerdotes ejus*, quorum duo hæc potissimum sunt officia, facere rem divinam & docere populum, utrumq; non omittunt quidem planè, sed administrant malè

Sacerdotes mali.

quùm cœlum terræ commiscent, sacra prophanis, legemq; & verbum Dei enarrant perperam, verum ejus pervertentes sensum, quandoquidem *rem sanctam prophanant*, & *vim legi faciunt*, malè eam explicantes, dum callida & perversa interpretatione sententiam corrumpunt, & in alienum sensum detorquent, prout ipsis libet, si cui minus favent, & vindictam meditantur, huc linguam acuunt & textum trahunt, Lutherus, sie deuten das Gesetze freventlich / quod in Pharisæis notat Christus, Matt. 23, 16. 23. Mar. 7, 9. 10. 11. 12. 13. Ex hac vero enumeratione & reprehensione grandium in utroq; statu flagitiorum regnantium id liquet, quod supra dictum est, hanc concionem ante repurgationem à Josia factam, esse habitam.

Vers. 5.] Quid vero Deus ad hæc? probatne & silet? probet vero & sileat? imò contra istam hominum & primorum plebis injustitiam hactenus declaratam suam quotidiè

tidiè producit ac probat justitiam. Allegant illi pro se Dei promissionem Lev. 26, 11. 12. 13. Indesinenter ambulabo in medio vestri, ac ero vobis Deus, sed non addunt conditionem ibidem adjectam v. 3. si vos ambulaveritis in statuis meis: Verumtamen respondeo potius per concessionem, revera Deus est in medio ejus, sed eos reos suorum scele-
Dei justitia. rum peragit. Nam *Jehova justus,* qui non probat illa facta injusta, Psal. 11, 7. *in medio ejus* civitatis, & proinde parerat, ut hujus praesentia moniti ejus incolæ studerent & ipsi justitiæ quandoquidem *ipse non facit,* neq; approbat *iniquitatem* Deut 32, 4. ideoq; non committet, ut hæc scelera, quæ hactenus commemoravi, impunita abeant, quod
Manè. esset iniquum, imò contrarium testatur quotidiè, *quando mane mane,* i. e. unoquoq; mane, diebus singulis (id quod repetitio ejusdem vocis innuit, Buxt. Thes. p. 318 319.) diligentissime & accuratissime (id quod circumstantia temporis indicat, quia mane fieri dicitur, quod fit cum cura, magnaq; diligentia, vide Psal. 5, 4. & 101, 8. Prov. 1, 28. infra v. 7.) *jus suum* in lege præscriptum, quod eam observare oportebat, per prophetas suos veros, per quos suum populum quotidie ad frugem revocat, quotidie *edit* ac pro-
In lucem. fert *in lucem,* h. e. publice ac perspicue Mich. 7, 9. declarat. vide 2. Chron. 36, 15. Hos. 6, 3. 5. Jer. 7, 25. Quanquam vero non multum proficit, tamen pergit in isto suo proposito, ut paucos salvet, quia *non deest.* Luth. Der HERR lehret wol recht und lesset nicht abe / neq; quicquam desiderari patitur Esa. 5, 4. *sed nescit iniquus* in isto populo Israelitico *erubescere,* callum obduxit in nequitia, frontem perfricuit, omnemq; pudorem exuit, ut scortum impudentissimum, quod ad nullum opprobrium datur in pudorem Jer. 3, 3 &c. & 5, 3.

Vers.

Vers. 8.] Amplificatur hæc Judæorum nequitia inde, quod nullis pœnarum exemplis, quæ videbant in alijs facti sint meliores, aut illud sibi subjecerint:

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet,

sed semper in pejus ruere perrexerint. Ubi enim verbis nil proficere potui, ventum est ad verbera: ne tamen inopinantes & inter oscitantes oppimerem meos, prius aliquot gentes exscindere volui, non unam tantum, ne dicerent, se id non potuisse observare, neq; leviter tantum, aut molli brachio tractare eas placuit, sed ita ut totale inde sequeretur exscidium, idq; meis prædixi supra c. 2, 4. seqq. ut ipsi hinc exemplum caperent, alienoq; periculo tandem saperent. Hanc ob causam quoq; cum meis suis sceleribus ad iram provocaverant, *gentes* vicinas *exscidi*, ita *ut desolatæ sint extremitates earum*, in universum, ab unâ extremitate ad alteram sunt anguli eversi, seu potius munitiones in angulis ædificatæ. Atq; ita plerique omnes interpretes vocem פִּנּוֹת hic & c. 1, 16. accipiunt, præter Riberam, qui intelligit primores populi, qui metaphoricè ita dicuntur Jud. 20, 2. 1. Sam. 14, 40. Esa. 19, 30. eò quod alios sibi adhærentes continent, autoritate præstant, alijsq; antestant, quiq; Rempubl. sustinent ac fulciunt, ut mollem ædificij lapides angulares, quo nomine etiam ipse Christus nuncupatur Psal. 118, 22. Esa. 28, 16. Eph. 2, 20. 1. Pet. 2, 7. Matth. 21, 42. Act. 4, 11. eo quod duos domus Spiritualis Dei seu Ecclesiæ parietes, h. e. Judæos ac gentes conjugat: Qua de re vidè prolixe & eruditè differentem Drusium epist. 85. Verum nota, quod in illis locis, quæ ut παράλληλα hisce prophetæ nostri citat Jesuita, & subjecta materia alia sit, quippe ubi agitur de hominibus, cum hic de urbibus sermo sit, & nemen-

Judæi ex aliis periculum nō faciunt.

פִּנּוֹת

Primores populi.

hic non notat.

men sequens הָעָם διακρίσεως gratia ibi additum hîc non reperiatur, & proinde non necesse sit illo modo exponere, quo vult Jesuita locis alienis seductus, quæ pro parallelis habuit. Præterea dicit Deus, vastitatem factam exagerans, *destruxi vicos earum, desertas feci plateas earum*, quæ antea erant populis refertæ, *adeo ut nullus* deinceps *transiret*, aut hinc inde commearet, *ita sunt exinanitæ civitates* earum civibus & incolis, *ut non sit quisquam in illis, nec sit ullus habitator in illis*. Confer ea, quæ dicta sunt ad v. 5. 6. 14. 15. capitis secundi.

Vers. 7.] Dum verò hæc agebam, ita mecum reputabam & *dicebam*, dum te ô, Juda, aliorum exemplis, quid te futurum sit, nisi resipiscas, moneo, eaq; per prophetas inculco Amos. c. 1. & supra c. 2,4. sperabam fore, ut adducaris eâ ratione ad timorem mei: Sed, proh dolor, observes hic licet meam in te benevolentiam & benevolam affectionem, qua te nolui perire, tuamq; in me Deum tuum te vocantem obstinationem, ego te resipiscentem volui servare, tu autē voluisti te magnis magnisq; vitas tuas corrumpens, perditum ire. Dicebam, istis documentis Jerosolyma tam severis erudita, *utiq; timebis me, accipies disciplinam*. Percipies eruditionem Prov. 24, 32. supra v. 2. (Quibus duobus totius cultûs Dei ac pietatis summam complectitur Mich. 6, 8.) capies inde documentem & ad frugem redibis, ne eadem patiaris. Sed frustrâ te percussi, disciplinam non resipisti Jer. 5, 3. exspectavi diu, si forte animum mutares, castigata resipisceres, & non opus esset, me quoq; eo usq; procedere, ut te totam everterem, *ut non exscinderetur habitaculum ejus*, quæ egit pœnitentiam illis omnibus plagis sensim crescentibus, quibus *animadverte-*

Jerosolyma exemplis non correcta.

bam

bam in eam hactenus impœnitentem. Sed proh dolor, quis effectus hujus *meæ* benevolentiæ & longanimitatis? Ille, quem vix crederes, Nam quamquam illa omnia feci, *veruntamen inde à diluculo,* à summo manè indesinenter ac studiosissimè *corrumpunt omnes actiones suas,* quasiq; summa vitæ voluptas in eo esset posita, sic ad vitia quævis festinarunt eo tempore, quod rebus gerendis est aptissimum, eò quod tum mens adhuc sedata est ac tranquilla, vide supra v. 5. Unde Lutheri illa versio proba, sie sind fleissig allerley Bößheit zu uben.

A diluculo.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

I. *Væ fœdatæ, Contaminatæ & opprimenti*] Deus peccata neq; vult, neq; probat, sed odit & abominatur Psal. 5, 5. Esa. 30, 1. & 65, 12. Psal. 92, 16. Mal. 2, 17. Sirac. 15, 11. 12. 20. Vide supra Amos 6, 8. Hab. 1, 13. & infra v. 5. Qua de causa illis etiam Væ denuntiat, atq; eadem punit Amos 3, 6. & 4, 6. & 6, 1. Mich. 2, 1. seqq. & 6, 13. sqq. Nah. 3, 1. Hab. 2, 9. 12. 15. 19. supra 2, 2.

Deus peccata odit & punit.

II. *Urbi*] Etiam Ecclesia sancta potest degenerare. Quod notandum contra Pontificios supra c. 1, 4, L. C. II. Et hoc si ita est, quidni possent singuli pij in peccata contra conscientiam prolabentes gratiâ Dei excidere, ac fidem amittere? Imo hoc merito sequitur, quia Ecclesia sancta constat ex multis sanctis, quorum est communio. Quod est contra Calvinianos observandum, qua de re dictum est Amos 9, 15. supra c. 1, 6.

Ecclesia & pij possunt deficere.

Ex versu 2.]

Homo Deum vocantem spernit.

I. *Non auscultat voci, non accipit disciplinam*] Deus cum vocat creaturas reliquas, statim adsunt, Psal. 33, 9. & 148, 5. Rom. 4, 7. Vide Amos 9, 6. solus homo vocatus non comparet Prover. 1, 21. 24. 25. Ut in parabolis Cœnæ magnæ Luc. 14, 17. 18. nuptiarum regiarum Matth. 22. 3. 4. seqq. declaratur. Etiam à Deo paternè castigatus, ne cum mundo damnetur 1. Cor. 11, 32. pœnitæntiam sæpè non agit Amos 4, 6. 7. 8. seqq.

Deus adest ubiq.

II. *Jehovæ non confidit, ad Deum suum non propinquat*] Fons omnium peccatorum est infidèlitas, & quod homines non cogitant, se stare in conspectu Dei, supra c. 1, 7. L. C. I. qui semper adsit illis in omnibus locis, vide Amos 9, 2. 3. 4. Obad. v. 3. 4. & propterea illis quotidiè benefaciat, ut ipsum quærant, ad ipsum accedant, Deumq; colant Act. 14, 17. & 17, 26. 27. 28. Matt. 5, 45.

Ex versu 3]

Magnatũ peccata taxanda.

Principes ejus sunt leones] Etiam magnatum peccata taxanda sunt. Vide quæ dicta sunt Amos 4, 1. & 5. 7. 10. 11. 6, 1. 4. 5. & 7, 16. Jon. 3, 6. & inprimis Mich. 3. 1. 2. 3. 9. 10. 11. Nah. 3. 1. Hab. 2, 9. Sap. 1, 8. Ubi δωροφαγία etiam graviter reprehenditur.

Ex versu 4.]

Etiam sacerdotum.

I. *Prophetæ ejus leves*] Etiam inter ministros verbi sunt mali quidam, levipedes, lenipedes, arundines ventriloqui. Vide Hab. 2, 1. L. C. I. Qui etiam sunt reprehendendi & ex lege arguendi, quemadmodum ipse Petrus à Paulo graviter arguitur Gal. 2, 14. Et Pharisæi ac scribæ à

Christo

Christo accusantur Matth. 6, & 23. Vir Dei & Samuel increpant seniorem Heli 1. Sam 2, 27. & 3, 18. Malachias sacerdotes arguit c. 2, 8.

II. *Prophanant rem Sanctam, vim faciunt legi*] Ministris verbi dictum est, videant, ne dent sanctum canibus, ne margaritas projiciant porcis Matth. 7, 6. qui id mandatum susq; deq; habent, cum omnes ad sacram admittunt synaxin, sciant, se peccatis alienis communicare, neq; se sanctos suo Domino, cui sunt consecrati, servare 1. Timoth. 5, 22. confer 2. cor. 6, 14. seqq. Item, qui textus verbi divini perperam allegant, dictorum sensum pervertunt ac contorquent, sive ex malitia, sive negligentia, peccant graviter, quia labia sacerdotis observabunt scientiam, & lex requiratur ex ore ejus, iniquitas non inveniatur in labijs ejus, sed in æquitate ambulans multos avertat ab iniquitate Mal. 2, 6. 7. In omnibus ac legem & testimonium se referant Esa. 8, 20. & tantum id loquantur, quod ipsis dixi Dominus, de qua re sæpe in prophetarum horum inscriptionibus. Æquum est igitur, biblia ipsa diligenter scrutari Johan. 5, 39. lectioni scripturarum sit intentus 1. Timoth. 4, 13. 16. Hæc meditetur, in his sit, ut ejus profectus manifestus sit inter omnes, ibid. v. 15. ut sit potens in scripturis Act. 18, 24. & queat exhortari doctrina sana & contradicentes convincere Tit. 1, 9.

Mali à cœna arcendi.

Dicta scripturæ rectè citentur.

Biblia legantur.

Ex versu 5.]

I. *Jehova justus*] Deus propterea non est injustus aut probat injustitiam, cum aliquandiu ad peccata improborum connivet, supra v. 1. Psal. 50. 21, 22. eosq; ad pœnitentiam invitat Rom. 2, 4. 5.

Dei justitia.

Dei præsentia. II. *In medio ejus*] Semper sit in oculis hominum Dei timor, quia semper adest

ὄμμα δίκης καθορῶν πάντα τὰ γιγνόμενα

supra c.1,7.L.C.I. & c.3, 2. L. C. I. Monebat quidem prudenter *Seneca*, ut ad vitanda clancularia vitia, quum soli versamur, aliquem severissimum virum, qualis fuit Scipio, Lælius, Cato &c, nobis & testem & inspectorem nostrarum rerum adesse cogitemus: Et piè *Bernhardus*: In quovis angulo, reverentiam exhibe tuo angelo, nec ausus præsente illo facere, quæ me præsente facere non auderes. Sed longè magis Christianos excitare debet ad piè vivendum, quod sciant, Deum omniscium, mundiq́ totius judicem cum sanctissimorum angelorum choro semper esse præsentem

Ne pecces, Deus ipse videt, tuus angelus adstat,
Accusat Satanas, morsq́ minatur atrox.
Infernus rictum dilatat, concipis intra
Pectora pro meritis vimq́ metumq́ malis.

Homines sua culpa pereunt. III. *Unoquoq́ mane Deus jus suum edit.*] Deus omni & toto die manus expandit invitans ad pœnitentiam Esa.65, 2. 3. 12. Rom. 10. 20. Esa. 66, 4. Jer. 7, 14. Prov. 1, 24. Sed nolunt venire Matth. 22, 3. & 23,37. Non igitur perditio hominum est ex Deo, sed ex ipsis Hos. 13. v. 9. Nam facit suæ vineæ, quæ debuit Esa. 5, 4.

Ex versu 6.]

Exemplorum usus. *Exscidi gentes*]. Indicatur hic plurimorum in scripturis notatorum exemplorum pius usus, qui est, quod ibi

Omnis, quid fudiat, quidq́ sequatur, habet.

ut

ut Christus indicat Luc. 13, 3. 5. Matt. 12, 13. 41. 42. Luc. 17. 26, 29. Paulus 1. Cor. 10, 1. seq. c. 6, 11.

Ex versu 7.]

I. *Dicebam, utiq; timebis me*] Calamitatum hominibus à Deo immissarum finis bonus est, ut videlicet inde erudiantur ad timorem Dei, & alia pietatis opera excitentur Job. 5, 17. & 11, 11. 12. & 33, 17. 18. 23. Dan. 11, 35. Psal. 119, 71. & 94, 12. Job. 36, 9. 10. 11. Prov. 1, 32. Sap. 12, 2. ne opus sit planè eos perdere 1. Cor. 11, 32. *Calamitatum finis.*

II. *A diluculo corruperunt actiones suas*] Ea autem est humanæ naturæ pravitas, ut etiam his sæpe non erudiatur Amos 4, 6. seqq. sed quò plus percutitur, magis auget apostasian Esa. 1, 5. *Iis non correcti.*

PARS POSTERIOR.

Vers. 8.] Quod cum ita sit, egoq; frustra exspectaverim vestram pœnitentiam, id restat, ut vos à me prædictam certò expectetis pænam. *Idcirco præstolamini me, dictum Jehovæ, ad diem* illum, *surrecturus sum ad prædam faciendam* (heb. לְעַד, quæ vox itidem in hac significatione occurrit Gen. 49, 27. Esa. 33, 23 à R. עוּד despoliavit, Psal. 119, 61. quod tamen cum Chaldaica R. עֲדָא i. e. transijt, transire fecit seu removit, magnam habet cognationem) & mihi & ijs, qui vos sunt eversuri, potissimum verò in ultima urbis eversione, facta à Tito Vespasiano. Tum enim Evangelium in totum terrarum orbem disseminabitur, unde mihi multi regenerati cedent velut in prædam. Contra vero, qui nolunt converti, cedent & Romanis corporaliter ac temporaliter, & diabolis spiritualiter ac *לְעַד*

æternum in prædam, idq; certiſſimè futurum eſt, quia *jus meum* & inviolabile decretum jam eſt factum, ut in ira mea *recipiam gentes*, ſupra c. 1. 2. & *congregem regna ad judicium*, Joel 3, 7. *& effundam*, copioſiſſimè exeram (Joel. 2, 28.) *ſuper illas indignationem meam, ac totum æſtum iræ meæ* Pſal. 79, 6. Ezech. 22, 31. *quia igne zeli mei*, quo meos defendo, eosq;, qui illos afficiunt injuria, punio, ſupra c. 1, 18, Ioel. 2, 18. Nah. 1, 2. *abſumetur tota hæc terra*, pleriq; omnes terricolæ, ut Gen. 41, 57.

Verſ. 9.] ne verò illud gentis Iudaicæ excidium Eccleſiæ damno ac fraudi fore videatur, illam eo ipſo tempore potius propagandam dicit eorum acceſſione, qui hactenus fuerunt ab ea alieni, Dei ignari ac impuri. Ubi notanda ſunt hæc tria 1. à quo tam mirum opus 2. quomodo, videlicet mutando hominum corda & labia. 3. in quibus, nempe multis populis, futurum ſit. *Tunc enim*, quum vos & illas gentes judicijs meis exercuero, convertam *& mundabo in populis*, qui reliqui erunt ex clade publica, quosque concione ſpiritus per verbum renovabo in ſpiritu mentis ipſorum, ut purificati in cordibus per fidem, puritatem vitæ ſermone & opere deinceps probent coram Deo, mutabo, inquam *labium* eorum, quod hactenus peccatis fuit occulſum, aperiam Pſal. 51, 17. & quod varijs nugis ac blaſphemijs fuit impuratum, ut *purum ſit*, efficiam, ut de Deo vero & caſtè ſentiant & rectè loquantur. Lutherus paulò aliter vertit; als den wil ich den Volckern anders predigen laſſen mit freundlichen Lippen / & in margine, daß iſt das Evangelium von der gnade GOttes / welches uns erlöſet von unſern Sünden / q. diceret propheta de labio Dei, ejusq; verbi præconum,

Deus mutat cor.

& labium.

Conciliatur Lutheri verſio.

quippe

quippe quod hactenus legem intonuit, mutabo labium meum in populis, ut sit affabile, quod tamen proprie בְּרוּרָה non significat. Verum quia relata se mutuo ponunt, qualia sunt auditorum conversio, & prædicatorum concio, non sunt hæc inter se contraria, sed subordinata, & utraq; bene cohærent cum sequentibus, quæ ita habent: *ut invocent omnes nomen Jehovæ,* serviendo ei ac *colendo eum humero uno,* proverbialiter ὁμοθυμαδὸν Act. 1, 14. & 2, 1. 46. unanimiter Act. 4, 32. (in quibus locis etiam hujus vaticinij complementum licet cernere) Lutherus einträchtiglich/ summo consensu, metaphora à bobus vel alijs jumentis traducta paribus humeris idem jugum trahentibus, ut vertunt græci h. l. τοῦ δουλεύειν αὐτῷ ὑπὸ ζυγὸν ἕνα, vel à bajulatoribus, qui simul humeros eidem supponunt oneri. Sic h. l. in conjugio spirituali cum Christo inito, idem nolle atq; idem velle ea demum firma erit amicitia Jer. 32, 39, qui totus locus cum hoc est bene conferendus v. 37. 38. 40. 41. seqq. Nam in N. T. per Christum futurum est, ut gentes & Iudæi fiant unum corpus Eph. 2, 2. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 21. Ioh. 10, 16. *Humero uno.*

Vers. 10.] Quia tum è locis remotissimis Esa. 18, 4, & 60, 4. *ex ipsis transfluvialibus* partibus, sive è regionibus, quæ trans flumina *Æthiopiæ* & *Ægypti, supplices mei* conversi pro remissione peccatorum, & pro conservatione in fide ardentibus vocis intersedentes, quorum nonnulli ex Iudæis hinc inde dispersis erunt, atq; ita tota N. T. Ecclesia, quæ est *filia dispersorum meorum* Ioh. 11, 52. quam Christus Evangelij verbo regens collectam, velut filiam suam gignet, facietq; ut sit mater fidelium, *afferent munus meum,* donum, quod mihi meritò debetur, atq; adeo seipsos Deo *Transfluviales.*

consecrabunt, quæ est Deo victima gratissima Rom. 12, 1. cultusq; vere rationalis, quod ut Chaldaicus paraphrastes indicaret, vertit, adducent velut munera mihi exules populi mei, qui deportati fuerant, & per miserationes reversi sunt, quomodo etiam Lutherus vertit, Man wird mir meine Anbeter/ nemblich die zerstrewetten von jenseit dem Wasser im Moren Lande herbringen zum Geschencke/ quomodo cum h. l. optime congruunt illa, quæ habentur Esa, 18. 1. 7. quæ omnino vide, & huc transfer. Complementum hujus vaticinij aliquod habes, quando Act. 8, 27. 35. 36. Æthiops convertitur, & rerum Ecclesiasticarum scriptores narrant, Matthæum Apostolum in Æthiopiam usq; pervenisse, ibiq; veram de Deo, ejusq; filio doctrinam propagasse, Euseb. l. 3. c. 1.

Æthiopes conversi.

Vers. 11.] Cum autem hæc fiunt, *tempore illo*, tibi ô Ecclesia, propter Christum peccata tua non amplius imputabuntur ad confusionem æternam, ipsaq; vitæ emendatio in hoc seculo tam erit illustris, ut anteactæ vitæ infamiam obliteret, *non pudebit te ullius actionum tuarum*, ob ea, quæ admisisti, non amplius erubesces coram Dei tribunali accusata, quibus antea *prævaricata es in me*, & quibus defecisti a me, nihil tale etiam deinceps facies, quale fecisti, cujus te pudere merito possit, siquidem tantum

incussere priora tibi peccata pudorem

ut non repetas admissa Rom. 6, 21. hactenus de sanctitate urbis ac templi frustra gloriata es sæpius, cum esses profanis quoq; pejor: Deinceps vero non amplius inanibus sanctimoniæ turgebis titulis, sed quod ore profiteris, re præstabis ipsa, & sanctitati revera studebis. *Nam tunc amovero è medio tui exsultantes de fastu tuo*, templiq; excellentia, ut non

non pergas efferre te amplius ob montem meum sanctum Jer. 7, 4. quia deinceps regnum Dei per totum terrarum orbem erit dispersum, ut non tantum adorent Deum Jerosolymis Joh. 4, 21.23.

Vers.12.] Contra vero *reliquio meo in medio tui populum pauperem spiritu*, aflictum, humilem, tenuem, malorumq; tollerantem, qui nullâ alia re gloriabitur, quàm quod novit Dominum Jer. 9, 33. qui sperabunt in nomine Jehovæ, & malis pressi velut ad tutum asylum se *ad nomen Jehovæ*, h. e. ipsum Psal. 9, 3.11. Joel. 2, 33. Mich. 6, 9. *recipiens* quæ est verbi חָסָה emphasis, de qua Psal. 2, ult. Joel. 3, 16. Nah. 1, 7. non in templo aut urbe, aliave re externa confident, qua se destitutos vident. quomodo hic versus præcedenti opponitur, & in sequenti fidei fructus, novam obedientiam & tranquillam conscientiam propheta subjicit, ubi omnibus veris Ecclesiæ civibus sanctitatem & securitatem promittit:

Ecclesia cœtus pauper.

חָסָה

Vers. 13.] *Reliquiæ Israelis* grandia flagitia ex destinata animi malitia nō committent, quamdiu sunt tales, *iniquitatem non facient*, ut sæpè Johannes in priori Epistola hanc phrasin, peccatum facere, hoc est, peccatum mortale, & contra conscientiam committere, usurpat, *neq; loquentur mendacium, neq; invenientur in ore earum lingua dolosa*, quomodo sermo pius animi Character certissimus, ut Christus illis factus est à patre non tantùm sapientia & justitia, sed & sanctificatio 1. Cor. 1, 30. Atq; ita piè viventibus Dei protectio non deerit, qui credentes verbo pascit, & potentia sua defendit, *ipsi pascentur & recubabunt securè* supra c. 2, 7. *nemine perterrente* Mich. 4, 4. Nah. 2, 12. cum nihil ab improbis, alijsq; hostibus

Piorum integrit.

Dei protectio.

Pro-

Protectore Deo justis queat esse pericli.

Ecclesia canat.

Verſ. 14.] Hæ vero promiſſiones de ſanctitate ac ſecuritate Eccleſiæ porrò confirmantur à ſigno, lætitia videlicet, eaq; maxima, ubi notanda illa tria 1. quid. canendum, jubilandum, gaudendum. 2. quibus, civibus Eccleſiæ. 3. cum exultatione & ex toto corde. Quando enim illa amplisſima promiſſa tibi ex Dei benedictione obvenerint, tum cane filia Sionis, novi Teſtamenti Eccleſia, jubilate, *clangite* omnes veri *Iſraelitæ*, vera fide præditi, *lætare & exulta*, & quidem *ex toto corde* ac animò, *filia Jeroſolymorum* Zach. 9, 9.

Verſ. 15.] Quæ autem, inquis, tantæ lætitiæ cauſæ, cum mala me premant undiq;? dicam, tu etiam in afflictionibus gloriari poteris Rom. 5, 3. rationes, quæ id ſuadeant, à me nunc afferentur ſaltem quatuor 1. peccatorum ac pœnarum remiſſio. 2. ab hoſtibus liberatio. 3. Dei præſentia & protectio. 4. horum beneficiorum perpetua conſervatio. Propterea enim canes & lætaberis, quod primum *amovet Jehova judicia tua*, pœnas tibi à gentibus, virgis & velut ſordes repurgavit ac evertit (ut ij ſolent, qui venienti viam expediunt, vel qui locum ædificio deſtinatum benè complanant, ac omnia è mediâ removent obſtacula, ſic Deus te exædificaturus omnia impedimenta prius rejicit.

פַּנֵּה

Id quod verbi ▭ emphaſis notat, de qua vide Gen. 24. 31. Lev. 14, 36. Pſal. 80, 10. Eſa. 40, 3. & 57, 14. & 62, 10, Mal. 3, 1. & in N. T. per ἑτοιμάζειν Matth. 3, 4. εὐθύνειν Johan 1, 23. κατασκευάζειν Matth. 11, 10. redditur) *inimicum tuum*, gentes, quæ hactenus inimicitias tecum exercuerunt, imò ipſum diabolum, legem, infernum compeſcuit

1. Cor.

1. Cor. 15, 25. 56. 57. Col. 2, 14. 15. Genes. 3, 15. ut ipsi deinceps sine metu ex manu ac potestate hostium tuorum liberata servias in sanctitate & justitia Luc. 1. 74. 75. Luth. **Denn der HErr hat deine Straffe weggenommen / vnnd deine Feinde abgewendet /** atq; ita tibi aderit ac defendet, ut inde facilè possis concludere, *regem Israelis Jehovam esse in medio tui*, quum suæ præsentiæ adeò manifesta edit signa, & hinc collige, *fore, ut non amplius videas malum*, h. e. in illo verseris, ut videre periculum, corruptionem, mortem, bonum, bonos dies &c. Scriptura hinc inde pro, illa sentire, & his frui dicit, quomodo תִּרְאִי erit à רָאָה. Idem tamen omnino sensus est, si quis id pro תִּירְאִי à יָרֵא velit cum Luthero, Chaldæo interprete, alijsq; nonnullis deductum accipere, quod & sequens versus videtur innuere.

Videre i. e. sentire.

Vers. 16.] Hæc autem tua lætitia major erit & amplior, quando publicam aliorum gratulationem & faustam hanc acclamationem audies, qua *die illâ dicetur urbi Jerosolymorum, ne timeto*, quandoquidem cum in medio tui habeas protectorem, regem omnipotentem v. 15. par est, ut tranquillo sis animo, & dicetur *Sioni, ne remittuntur manus tuæ*, ne sis segnis in pietatis opere, sed illud sedulò ac alacriter urge, cum magnum restat præmium.

Piorum gratulatio

Vers. 17.] Sed dicat Ecclesia ita excitata, dicis verò ne timeam: obstant certe pericula multa & difficultates maximæ, quas diabolus & mundus objicit, quin etiam conscientia scelerum, quibus Dei iram me promeruisse novi, me vexat: ad utrumq; porrò respondet propheta: *Jehova Deus tuus* tibi propitius, est *in medio tui*, is vires tibi sufficiet, ut possis in ipso vincere omnia, is satis *potens est & salvaturus te* ab omnibus hostibus, quantumvis potentibus. Lutherus ist

Deus potens.

ein starcker Heylandt Rom. 8, 37. 1. Cor. 15, 57. 1. Ioh. 5, 4. 5.

Vult salvare.

Est igitur ipsi servandi facultas: De voluntate non etiam est quod dubites, ipse enim jam per Christum reconciliatus & placatus tantum abest, ut tibi irascatur, ut suaviter in te per ac propter illum acquiescat Matth. 3, 17. Luc. 2, 14. Eph. 1, 5, 9. de te gaudeat, *de te gestiat lætitia* (ישׂוּשׂ enim, quod est in textu hebr. plus est, quam שָׂמַח) ac velut maritus in amore uxoris, sponsus in suæ sponsæ benevolentiâ, in amore suo conquiescat, atq; ad peccata leviora conniveat, eaq; condonet, ut Lutherus vertit vergeben / nicht straffen / noch die Sünde zurechnen / sondern zudecken vnd vergessen / *exultabitq; de te cum cantu ac jubilo,* tua etiam imperfecta opera ac gratitudinis debitæ signa per eundem Christum habens gratissima 1. Pet. 2, 5.

Vers. 18.] Objicies, diu differri, quod promittitur, & hinc inde pios esse dispersos, & quod pejus est, in exilijs detineri, ne possint ad festivitates solemnes cum alijs pijs convenire: Age etiam hunc tibi eximam scrupulum, nam ego Iehova illos pios, qui tanto studio conventus sacri constringuntur, ut tantisper, dum à Deo, ejusq; cultu publico absunt, sint in mœrore ac luctu, exemplo Davidis, Psal. 42, 2. 3. 5. atq; ita *mæstos propter conventum* publicum ac solemnitatem seu stativas ferias, quod illas celebrare cum reliquis nequeant, illos ego tandem certissimè *recipiam*, & ad te congregabo (præteritum enim more prophetarum pro futuro est) idq; justissimum est, quia *ex te sunt,* tui veri & genuini partus, ô Ecclesia, sunt ex veris civibus, licet jam sint abducti in regiones exteras, & mœsti, eum apud gentes ludificantes verum Deum, ejusque cultum, *oneri* ipsis sit *opprobrium, ei* piorum Ecclesiæ ab impijs impositum, cujus

vicem

vicem omnes boni dolent meritò. Hæc est sententia hujus versus ob concisum dicendi genus in textu hebræo aliquantò obscurioris, & à quibusdam interpretibus magis obscurati diversis, & à scopo nimium abludentibus interpretationibus, quas lubens prætereo, si modo veram significationem vocis נוּגֵי, & quid Hieronymus de ea scribat indicavero, idq; propterea, quod Ribera his duobus fundamentis nitatur, cum alios omnes reprehendit interpretes. Est n. illa participium plurale constructū in Niphal à R. יָגָה mœrore affecit, afflixit, non removit, ut ipse etiam errat, confundens cum הָגָה. Illa significatio à nobis indicata, & scripturæ analogia videri potest cum in ipso verbo, tum in nominibus inde derivatis in hisce locis Gen. 42, 38. & 44, 31. Esth. 9, 22. Job. 19, 2. Psal. 13, 3. & 31, 11. & 107, 39. & 116, 3. & 119, 28. Prov. 10, 1. & 14, 13. & 17, 21. Esa. 51, 23. Jer. 31, 13. Thr. 1, 5. 12. & 3, 32. 33. 65. Ezech. 23, 33. & alibi, ubi mœrendi significatio semper obtinet, inprimis autem nota Thren. 1, 4. ubi hujus ipsius participij masculini plurale fœmininum נוּגוֹת eodem, & non alio, quo hic habetur sensu, invenitur. Quod ad Hieronymum spectat, is ita ad hunc locum scribit. Id quod diximus nugas (in vulgata versione est, quod etiam propugnat Ribera, nugas, qui à lege recesserunt) sciamus in Ebræo ipsum latinum sermonem esse Nugæ, & propterea à nobis ita, ut in hebræo erat, positum, ut nosse possimus lingvam hebræam omnium linguarum esse matricem. Hæc ille, unde Ribera concludit, nugas pro hominibus nugacissimis & peccatoribus poni, id cum ex scriptura probandum fuerat, ad Ciceronis autoritatem decurrit, sed frustra. cum nihil magis nostræ illustrandæ sententiæ possit inservire. Quia enim est hebræum illud nomen latinum

נוּגֵי
יָגָה
הָגָה
נוּגוֹת
Hieronymus.
Nugæ.

 opti-

quid propriè. optimè etiam cum illo conveniet. Quid ergo notat? Propriè præficarum carmina, quæ canebantur in mortuorum laudem, ut vel ex illo Plauti in Asinaria (non sunt hæ nugæ, non enim mortualia) & qui in hæc verba sunt commentati: Scaligero item ad Varronem, alijsq; pluribus discere est; *Carmina funebria.* Vide quæ diximus ad v. 16. Amos 5. Quia autem sæpe in illis nugis seu nænijs, h. e. carminibus funebribus in aliorum laudem factis vana multa & nugacia intercurrebant, hinc factum, ut pro mendacijs ac vanis sermonibus, imò pro hominibus talibus nugis deditis impropriè sumatur illud vocabulum, quæ tamen significatio hic prorsus locum non habet, ubi agitur de pijs mœstis, quod indicat subjecta ratio, ut meritò nugator maximus sit, qui hic magno conatu magnas agit & defendit nugas. *Lutheri versio conciliatur.* Unum hic restat, quid igitur Lutheri versione fiet; inquis? quæ ita habet, die / so durch Satzungen geengstet waren / wil ich wegschaffen / das sie von dir kommen / welche Satzungen jhre Last waren / davon sie Schmach hetten. Dico breviter, sententia est satis bona, eaq; ex multis alijs locis scripturæ V. & N. T. facile potest probari; num vero his verbis, quæ satis perspicua sunt in textu hebræo, contineatur, ego non video, & tantisper, dum doctiores id ex ipso textu mihi declaraverint, sententiam priorem præfero, præsertim cum non fiat hic decretorum ulla mentio. nisi hæc ita velis conciliare, mœstos esse illos N. T. futuros participes, quod non prius conventus suos sacros possint celebrare, quam ceremoniarum decreta sublata sint. Sed de his plus satis, quæ habent fundamentum in textu authentico.

Vers. 19.] In quo deinceps, ne videatur dubia promissio de reductione ad conventus publicos, pollicetur

Deus,

Deus, se fore suæ Ecclesiæ liberatorem, utcunq; magna sint objecta impedimenta & obstacula, dum ita ait: *Ecce me* quid te, quid alias creaturas spectas? *conficiente* consummationem, supra cap.1, 10. *cum omnibus affligentibus te, Luth.* Ich wils mit allen denen außmachen/ die dich beleidigen/ ne deinceps nocere tibi possint, *tempore illo simul servabo claudicantem*, Judæorum synagogam & *depulsam* gentium multitudinem. Vide plura Mich. 4, 6. qui claudi erunt donabuntur à me illa vi ut possint accedere, & qui depulsi sunt, & à Testamentis Dei alieni, advocabuntur, *disponamq; eis laudem & nomen in* tota, imo *omni terra* pudoris eorum, ubi hactenus in exilio pudore confusi sunt, faciam celebres ac illustres in terra quavis hostili, ubi probris & sannis perpetuis huc usque fuerunt expositi.

Judæorū & gentiū Ecclesia.

Vers.20] Hæc vero res, ut tantò sit certior, eorundem beneficiorum instituitur repetitio: *tempore illo adducam vos* meos filios in locum cupitum ac diu desideratum, *quo tempore congregavero vos, tum disponam vobis nomen & laudem in omnibus populis terræ cum reducam captivitates vestras*, hoc est captivas turbas ex vobis. *in oculis vestris*. Quæras? cur non dicat propheta captivitatem, ut aliàs sæpè alij? Vide saltem Amos 9, 14. Sciendum, quod hic propheta paulò ante captivitatem Babylonicam vixerit, & propterea plurnaliter loqui voluerit, ut omnes captivitates solutum iri crederent, & ex omnibus provincijs, quò erant dispergendi. Numerantur enim potissimum quatuor captvitates Judaicæ: in I. Manasses rex abductus fuit 2. Chron. 33, 11. In II. Rex Ichojakim, ibid. c. 36, 6. In III. Ichojacin & Ieconias, 2. Reg. 24, 12. 2. Chron. 36, 10. In IV. & ultima Sedechias rex deportatur, & tum Ierosolyma cum templo est diruta ac conflagra-

Captivitates cur dicat.

4 præcipuæ.

vit 2. Chron. 36, 17. seqq. 2. Reg. 25, 6. seqq. De his igitur omnibus solvendis datur promisso, &

Illis promissis appenditur ecce sigillum,
Clausula solennis, quæ sola atq; unica nobis
Sufficit, hisce fidem quo verbis astruat omnem:
Omnipotente etenim hæc est voce *Jehova locutus*.
Cui Trino atq; uni sit honos per secula cuncta.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 8]

Dei longanimitas

Idcir co præstolamini me, dictum Jehovæ, in diem, quo surrecturus sum ad prædam.]

Nostra Deus subitis non damnat crimina pœnis,
Compensat longas sed gravitate moras.

& rectè quidam inter ethnicos, Dijs esse soccos laneos, sed manus plumbeas. Qua de re jam sæpius.

Ex versu 6]

Deus homines convertit

I. *Tum mutabo* &c.] Ecclesiæ plantatio & propagatio solius Dei opus est, qui solus hominum corda potest convertere Jer. 31, 18. & solus dat plantante Paulo, & rigante Apollo, incrementum 1. Cor. 3, 7. vide Joel 2, 28. & 3, 16 17. Amos 9, 11. 15. Hobad. v. 21. Michæ 4, 7.

Ecclesiæ unitas.

II. *Serviendo ei uno humero*] In Ecclesia vera est unitas & consensus, quia est una fides, unum baptisma 1. Cor. 1, 10. Eph, 4, 3. 4. 5. 6. Joh. 17, 21. Est unum ovile Joh. 10, 16. Ezech. 37, 22. Ipse enim Christus est pax, qui fecit utrumq; unum Eph. 2, 14. Et una fuit tantum arca in diluvio, unum templum Judæorum, ut est una Christi Sponsa, unum ejus corpus, una vinea, una domus, quæ repræsentat Ecclesiam,

ita

ita una saltem Ecclesia, à qua qui discedit, salvari nequit. Vide plura Mich. 4. & 5. capp. Cum vero hic humeri fit mentio, monentur pij de jugo Christi suscipiendo Matth. 11, 29. quod pia antiquitas Christophori depingere voluit imagine. *Christophorus.*

Ex versu 10.]

E regionibus transflumina.] Ecclesia N. T. per totum terrarum orbem dispersa est. Vide quæ dicta sunt hac de re Ps. 2, 8. & 8, 2. 10. Ioel. 2, 32. Amos 9, 12. Hobad. v. 17. 19. 20. Mich. 4, 12. 6. 7. ubi etiam de vocatione gentium universali, de cujus complemento in Actis passim, Col. 2. Eph. 2. *Ecclesia catholica.*

Ex versu 11.]

I. *Non erubesces ab actionibus tuis,*] Per Christum ita peccata condonantur, ut non amplius eorum in conspectu Dei fiat mentio, Vide Mich. 7, 18. 19. Esa 38, 17. sed ejus sanguine superinducto delentur, Psal. 51, 3. purgantur & abluuntur ibid. v. 4. 1. Iohan. 1, 7. Hebr. 9, 14. & qui credit in eum, ignominia æterna non confundetur Rom. 9, 33. & 10, 11. non erubescent Psal. 25, 2. 3. Nam de conversis ad Deum dicitur, non erubescet Iacob, neq; facies ejus expallescet Esa. 29, 22. 23. & Israel salvatur per Iehovam salute æterna, quibus dicit, non erubescetis, neq; ignominiose reddemini in sempiterna secula. Esa. 45, 17. *Peccatorũ remissio.*

II. *Removebo exultantes de fausto tuo*] Veri Ecclesiæ cives tantum gloriantur in Deo suo Ier. 9, 33. 1. Cor. 1. 31. extollentes Dei potentiam & suam agnoscentes impotentiam 2. Cor. 12, 6. 9. *Pij gloriantur in Deo.*

Ex versu 12.]

I. *Reliquero*] Ecclesia ex toto mundo collecta est instar *Ecclesia.*

est parvus grex. ſtar paucarum reliquiarum. Vide ſupra id explicatum Amos 5,15. & 9,12. Mich. 4,7. & 5,7.8. & 7,18. eſt puſillus grex Luc. 12,32. & parvum tugurium, Amos 9,11.

cruci ſubjectus. II. *Populum pauperem.*] Eccleſia in his terris cruci eſt ſubjecta, ejusq; cives plerumq; coram mundo ſunt abjecti & contemtiſsimi omnium 1. Cor. 1, 26. 28. & 4, 11. 12. 13.

Fides eſt fiducia. III. *Se recipient ad nomen Jehovæ.*] Si credentes ad Deum ſe fiducialiter recipiunt, ipſa fides eſt fiducia, ut patet ex ipſa vocis hebrææ emphaſi explicata Pſal. 2, 12. & 5, 12. & 7, 5. Joel. 3,16. Nah. 1, 7.

Ex verſu 13.]

Bona opera. I. *Reliquiæ Iſraelis non facient iniquitatem.*] In renatis nova obedientia & ſtudium bonorum operum eſt neceſſarium Rom. 8, 12. & 13, 5. 8. 1. Theſ. 4. 7. Matth. 3, 10. 2. Pet. 1. 8. Pſ. 34, 15. Eph. 4, 22. Tit. 12, 14.

Pax piorum: II. *Ipſi paſcentur, nemine perterrente*] Juſtificati fide pacem habent apud Deum, Rom. 5, 1. & tantam, quæ ſuperat omnem intellectum Phil. 4, 7. ſupra ſe, infra ſe, intra ſe, circa ſe, ut expoſui Mich. 4, 4. & 5, 5. Nah. 1, 15. & 2, 12.

Ex verſu 14.]

& gaudiũ. *Cane filia Sionis*] Pij in Deo Salvatore ſuo exultant Eſa. 61,10. Luc. 1, 47. Phil. 4, 4. nam ille demum ſolidum gaudium poteſt gaudere, qui Deum omnia habentem habet, ſiquidem huic nihil deeſt Pſal. 23, 1. & 73, 25.

Ex verſu 15.]

Deus mala amovet. *Amovit judicia tua, expedivit hoſtes tuos.*] A Deo non tantùm habemus bona & gratias poſitivas, ſed etiam privati-

vativas, dum omnis generis mala & pœnas meritas avertit Psal, 39, 11. & 81, 7. 8. & 32, 6. & 34, 20. ut in tribus ultimis orationis Dominicæ præcationibus petimus Matt. 6, 12. 13. In altera demum vita plenarie ab omnibus malis suos liberabit, ab omnibus hostibus redimet, ut deinceps malum nullum videant amplius, ubi erit ipse omnia in omnibus 1. Cor 15, 25. 26. 28. 54. 57.

Ex versu 16]

I. *Die illa dicetur urbi Jerosolymæ, ne timeto*] Christus salvator mundi omnem tollit timorem servilem Luc. 12. 32. 1. Joh. 4, 14. 18. propterea enim natus Luc. 2, 10. & passus est Joh, 14, 1. 2. & 16. 33. resurrexit Matt. 28, 5. Mar. 16, 6. in cœlum accendit, & ad dextram Dei patris concedit Rom. 8, 34. 1. Jon. 2, 1. 2. Actor. 27. 24.

Christus tollit timorem servilem.

II. *Sioni, ne remittuntur manus*] Regnum Dei semper alacriter est propagandum, Esa. 35, 3. 4. Heb. 12, 13. 1. Tim, 4. 6 15. 16. & 6, 11. 14. 20. 2. Tim. 4, 2. 5.

Opus Domini promovendum.

Semper opus Domini studiose urgete ministri,
Nam labor in Domino nullus inanis erit 1. Cor. 15, 58.

Ex versu 17.]

I. *Jehova potens.*

Juvit Jova bonus, Jova hic juvat atque juvabit,
Et nunquam manus est abbreviata Dei

Num. 11, 23. Esa. 50. 1; qui novit præstare longe majora & copiosiora omnibus, quæ petimus, aut mente concipimus, secundum illam potentiam, quæ agit in omnibus. Ephes. 3, 20.

Dei potentia.

II. *Gavisurus de te lætitiâ*] Deus per Christum placa-

 tus

Ευδοκία. tus in nobis habet εὐδοκίαν Luc. 2. 14 Eph. 1, 5. 9. Matt. 12, 10. Luc. 12, 32. & ad nostra peccata connivet, neq; ea aspicit, Num. 23, 21. & huc pertinet illud Esa. 42, 1. 2. de Christo editum, & completum Mat. 12,19.20. vaticinium: non litigabit non clamabit, neq; audiet quis in plateis vocem ejus &c.

Ex versu 18]

Pij templum frequentant. *Mœstos propter conventum recipiam*] Pij quia libenter & cum gaudio accedunt ad templum Psal. 27, 4. & 42, 3. 4. & 122, 1. cum inde abesse coguntur, graviter dolent, Psal. 42, 5. 7. & sic suspirant: Deus roboris mei, mitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsæ deducant me & adducant me in montem sanctitatis tuæ, in tabernacula tua, ut accedam ad Deum autorem exultationis meæ Psal. 43, 2. 3. 4.

Ex versu 19.]

Ecclesia N.T. *Ecce me, tempore illo servabo claudicantem*] Ecclesia N.T. colligitur ex claudicante Synagoga Judaica & gentium mulditudine, quæ à testamentis Dei erat aliena. qua de re supra in hoc capite v. 9 L. C. 11. & v. 10.

Ex versu 20.)

Dispositurus sum vobis nomen & laudem] Ecclesia licet coram mundo sit spreta & abjecta, tamen à multis vere magnifica de illa dicuntur Psal. 87, 2. 3. Judam laudant fratres sui Genes. 49, 8. quia illa est ista mulier sole justitiæ amicta, sub cujus pedibus est luna, & super cujus caput est corona stellarum duodecim Apoc. 12, 1. est genus electum, regium sacerdotium, gens sancta, Dei peculium Exod. 19, 6 Deut. 7, 6. 1. Pet. 2, 9. est pulchra, decora, flos optimus, liliũ convallium Cant. 1, & 2. spectata velut aurora, pulchra ut Luna, pura ut sol c. 6, 7, & olim in altera vita erit plenarie gloriosa, nõ habẽs

ejus celebritas.

& tituli.

maculam.

maculam aut rugam Eph. 5, 27. habens gloriam Dei, & cujus lumen simile lapidi presiosissimo Ap. 21, 11, simus igitur, qui sumus Ecclesiæ cives, in mundo ignobiles & contemti, suprâ v. 11, L. C. 2. & 12, L. C. 2. Gaudeamus tamen nostra nomina scripta esse in cœlo Luc. 10, 40. quo olim â Christo evecti, & nomine novo, quod nemo novit, nisi qui accipit, donati Apoc. 2, 17. in æternum cantabimus, salus & gloria & honor & virtus Domino Deo nostro Apoc. 19, 1. & Christo, qui dilexis nos & lavit nos à peccatis nostris per sangvinem suum, fecitq; nos reges & sacerdotes Deo & patri suo, ei sit gloria & robur in secula seculorum Amen. *Gaudeant ejus cives*

O Domine JESU, tua hæc est promissio, tua erit ejus impletio, siquidem omnes promissiones Dei in te sunt etiam in te sunt Amen, 2. Cor. 1, 20. Tu nos, nos, inquam, miseros sustentes in hac infirmitate & restituas nos coram te in seculum ex mortuis excitatos in æternitate ac felicitate, ut dicamus cum omnibus angelis & electis animo læto, ore grato: Benedictus Jehova Jsraelis à seculo usq; in seculum, Amen & iterum Amen Psal. 41, 13. 24. Tibi soli sapienti Deo servatori nostro sit gloria & magnificentia, robur & autoritas & nunc & omnia in secula, Amen. Epist. Judæ v. 25. *Votum.*

FINIS.

I. Index

Autorum, quorum sententia vel laudatur vel refutatur.

Aquila	pag. 50	*Macrobius*	16
Aretius	62	*Meisnerus*	62
Augustinus	62	*Melanchton*	37
Basilius	62	*Ovidius*	27. 34
Bernhardus	82	*Plautus*	93
Chytræus	62	*Plinius*	54
Danæus	5. 40	*Reuchlinus*	59
Drusius 5.	16. 24. 28. 58. 71. 77	*Ribera*	5. 24. 58. 77. 91
Elias in תשבי	16	*R. Salomo*	24
Eucherius	24	*Scaliger*	92
Eusebius	86	*Seneca*	82
Gualtherus	5	*Septuaginta*	50
Hieronymus	4. 12. 24. 40. 71. 91.	*Servius*	16
Hyperius	62	*Socinus*	47
R. Jeschua	71	*Symmachus*	50
Josephus	24	*Tarnovius*	63
Junius	5. 17. 24. 62. 70	*Theodotio*	50
Kimchi	24. 59	*Tremellius*	16. 17. 24. 57
Lutherus	12. 18. 19. 20. 21. 23. 24. 26. 27. 28. 41. 43. 45. 49. 53. 55. 57. 58. 70. 72. 74. 75. 79. 84. 85. 86. 89. 90. 92. 93.	*Varro.*	16

II. Index

Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hic declarantur.

אָמַר בְּלֵב	61	הַיּוֹנָה	71	*præsertim*	14.
אָסַף	11	הֵמָּה *omnium trium*		זָבַח	19. 20
בָּלַג	22	*57. personarum*		חָבֶל	49
הִגְדִּיל	53	הֵם	19	חָסָה	87
הָגָה	91	ו *id est, notat*	91	יָגֹרְתִּי	91
יוֹשֵׁב	50.				

יושב	50	מלך	17	פנות	57
ירושלים	23	משנה	24	צפרה	4
יונה	71. 72	נגאלה	71	צפון	4
כמר כמרים	16	נכמרת	25	צפן	3
כנען	75	נוגי	91	קאת קפד	58
כרת	49	נכסף	41	קש קשש	41
לעד	83	סוף	11	ראי	70
מ *negativè*		סף	59	רבץ רבע	52
	18. sumitur	ערה	83	רזרה	55
מוראה	70	עור	83	שואה משואה	28
מזוזות	59	על	50	שוש	90
מכשלות	12	פוחזים	47	שמרים	26
מכתש	24	פנה	88		

Et Græcarum.

Ἐπιμάζειν, εὐθύνειν 88
Καὶ *significat, id est, & præsertim* 14
Καλαμᾶσθαι 41
Παραδειγματίζειν 70
Πρόσκομμα 12
Σκάνδαλον 12
Φυλάγματα 26

INDEX III.

Rerum & Verborum Memorabilium.

Ἀκρόστιχα *in biblis* 62
A diluculo 79
Adorare in omni loco 65
Æthiopes conversi 86
deleti 66
Agitare manum 61
Ἀναδίπλωσις 11
Analysis generalis hujus libri 5. 6
specialis cap. I. 6. 7.
c II. 38. 39
c. III. 68. 69
Anguli 28. 77
Animalia rara, ubi non sunt homines 12
Animalia carnivora vocantur à Deo ad convivium. 20
Ἀνθρωποπάθεια 15
Ἀποστασία *sanctorum* 31. 97
Argumentum cap. I. 6
II. 38.
III. 68

 Astro-

Assyrij perdentur 57
Astrologia 31
Atrati quinam 16
Αὔξησις 28
Beneficia Ecclesiæ N. T. promissa 69
Biblia elegantur 81
Bonis malè, malis benè 64
Cæcitate Deus percutit 37
Calamitatum finis 83
Cantus avis 67
Captivitates Judæorum 93.
Carmina funebria 92
Cerethæi quinam 49
Christus Ecclesiæ pastor 63. 64
tollit timorem servilem 97
Christiani hæredes terræ 63
Christophori pictura 95
Concreti cum fecibus suis 63
Credentes sunt securi 63
Deus εὐδοκία 97
justitia 46. 76. 81
longanimitas 94
omnipræsentia 80. 82
potentia 55. 89 97
protectio 87
Deus audit & videt omnia 64
homines convertit 94
mala amovet 96
mala prædicit 40
monet perdendos 46
mutat cor & labium 84
parit decretum 42
Dicere, in corde, de bonis 61
Dicta scripturæ rectè citentur 81
Dies Jehovæ 19
est terribilis 37
vastitatis & tenebrarum 28
Dij terræ emaciantur 55
Divitiis non confidendum 38
Dubitandi particula respicit pœnam 44
Eadem repetuntur 42
Ecclesia est cœtus pauper 87
parvus grex 96
catholica 95
Judæorum & gentium 93
potest deficere 30. 79
Ecclesiæ N. T. consolatio 51
Celebritas & tituli 98
cantus 88
unitas 94
Ego sum, est Dei titulus 67
Eloquentiæ studium commendatur ministris verbi 62
Ἐξήγησις 11
Et, variis modis accipitur 14
Excutere se 41
Exercitus cœlorum 17
Exemplorum usus 82
Fastus gentium 55
Fides est fiducia 96
Funiculus 49
Gentium puniendarum exempla 48
Gluma velut 42
Hammonitæ 52. 53
erunt ut Gomorra 54
Homines cum suis bonis perduntur 13

Deum

Deum sæpe spernunt 80
sua culpa pereunt 82
Hominum tria genera 7
Humero uno 85
Jactantia damnatur 64
Idola cum idololatris pereunt 65
Jerosolyma exemplis aliorum non correcta 78
tribus oppidis distincta 23
Insiliens in limen, quis 22
Insulæ 56
Joachimus Slüterus primus Lutheranus concionator Rostochij 10
Ira Dei est ignis 38
Irrisiones malorum puniuntur 65
Judæi reprehenduntur 69
Judæorum scelera 72
Jurare notat totum cultum divinum 17
Kloster / Klausen 17
Libri hujus divisio 5. 6
in Lucem 76
Lucerna Dei propitij & irati 35. 36
Lupi vespertini 74
Luxus in vestitu redarguitur 33
Luxus in luctum vertitur 66
Magistratus delicta 33
reprehenduntur 80
Mala prædicuntur 13
Malè parta 36
Mali è cœna arcendi 81
Manè 67
Manum extendere, est ἐκ τῶν μέσων 41
Mercatorum fraudes 35
Ministri mali pereunt cum Dominis 35
Moabitæ 52 53
erunt ut Sodom 54
Mortarium olim erat loco molæ 24 25
Mulierum luxus in vestibus 34
Negatio contrarium vehementer affirmat apud Hebræos 18
Nihil contra Deum 29. 30
Ninevitarum deliciæ 58
jactantia & vastatio 60
Nobiles & ignobiles vocantur à Deo ad officia Ecclesiastica 9
Nugæ 91
Obedientia nova 96
Opus Domini promovendum 97
Palæstinæ nobilitas 50
vastatio 51
Παρονομασίαι 48
Παῤῥησία *ministrorum verbi* 30
Pascere 52
Peccata Deo exosa 13. 79
notoria arguenda apertè 30
Peccatorum remissio 95
eâ semper opus habemus 45
Peregrina vestis damnatur 21
Perseverare in peccatis 36
Philistæorum 4. satrapiæ 48
Pij glorientur in Deo 95
Piorum integritas 87
pax & gaudium 96. 98
Pœnarum mitigatio 48
Pœnitentia, ejusq; species 47
Principes puniuntur 20
quidam velut leones 73

INDEX.

Prolegomena 3
Providentia Dei negatur 36.
Quærere Deum 18
Jehovam, justitiam 43
mansuetudinem 44.
Reductio ex captivitate Babylonica promissa 52
Reformatores Ecclesiæ 10
Respublicæ potentes deletæ 66
Sacerdotes 16
quidam mali 75
sunt publicè arguendi 80
Sanctorum ἀποστασία 31
Sanguis effunditur ut pulvis 29
Scrutari lucernis 26
Sibilare 61
Sonus diei Jehovæ 27
Sophonias quis, & unde nomen habeat 3
quando vixerit 5. 8.
est Dei legatus 8
ante reformationem Josiæ docuit 15
Spacium ad pœnitentiam 46
Stamus in conspectu Dei 32
Status Ecclesiasticus 74
Sūmma hujus libri 45
Superbia 65
Super tecta 17
Synecdoche 17
Tabulatum cedrinum 60
Templum frequentant pij 98
Tempora sua cur prophetæ notent? 8
Terræ sanctæ vicini 46
Transfluviales 85
Typicè quædam de regno Christi dicuntur 51
Verbi minister sit Sophoniæ similis 9
Vicini terræ sanctæ 56
Videre i. e. sentire 89
Viri ne sint nimis comti 34
Vocatio immediata 9
Vox irati Dei 35
Urbes malè perduntur 63
Ut pulvis 29
Zelus Jehovæ 30.

Psal. 27, 5.

יְהוָה יִצְפְּנֵנִי בְסֻכֹּה בְּיוֹם רָעָה יַסְתִּירֵנִי
בְּסֵתֶר אָהֳלוֹ בְּצוּר יְרוֹמְמֵנִי׃

Tempora nunc mala sunt, sed me velut arce receptum
Optimus abscondat sub sua tecta Deus

